DE

CEI INSULAE REBUS.

SCRIPSIT

ALEXANDER PRIDIK.

BEROLINI.
APUD MAYERUM ET MUELLERUM.
1892.

DE

CEI INSULAE REBUS.

SCRIPSIT

ALEXANDER PRIDIK.

BEROLINI.

APUD MAYERUM ET MUELLERUM.

1892.

Ex decreto ordinis historicorum et philologorum publici iuris factum.
Dorpati, d. XVII m. Aprilis a. 1892.

№ 23. Dr. R. **Mucke**, h. t. decanus.

Typis expressit C. Mattiesen, Dorpati Livonorum.

Friderico de Wenndrich

patri carissimo

hunc libellum

d. d. d.

alumnus pientissimus.

Praefatio.

Τὸ . . ἀκριβὲς οὐχ ὁμοίως ἐν ἅπασι τοῖς λόγοις ἐπιζητητέον . . . . πεπαιδευμένου γάρ ἐστιν ἐπὶ τοσοῦτον τἀκριβὲς ἐπιζητεῖν καθ' ἕκαστον γένος, ἐφ' ὅσον ἡ τοῦ πράγματος φύσις ἐπιδέχεται.

(Aristot., Nicom. Eth. A 1, p. 1094 b, 13).

In hac disputatione, quae ineunte anno 1889 Berolini suadente Koehlero incohata deinde variis negotiis (interdum etiam morbis) interrupta nunc demum aliquatenus absoluta vulgatur, quae potissimum secutus sim quibusque fundamentis adminiculisque uti potuerim, etsi singillatim exponere longum est, paucis tamen indicandum videtur. Atque, ut a collecta materie ordiar, in colligendis veterum scriptorum testimoniis nihil me fugisse puto, quod notatu vel memoratu esset dignum. Multo pluribus difficultatibus obstructa erat titulorum collectio. Tituli enim Graeci cum per innumerabiles fere dispersi dissipatique sint commentarios, ephemerides, collectiones, ne ex una quidem regione (ut omittam externos ad huius regionis res pertinentes) hodie ad unum omnes colligi possunt. Nihilominus nullum Cei insulae titulum me fugisse existimo, nisi qui in ephemeride quadam est editus, quae mihi non erat praesto; idem vero de externis titulis adfirmare minime audeo.

De singulis Ceorum rebus etsi nonnulli exstant commentarii gravissimi, tamen universam insulae historiam publicasque res nemo usquam adhibitis omnibus titulis per totam antiquitatem persecutus est. Broendsted[1]) quidem ineunte hoc saeculo facere conatus est, sed ultra initium non est progressus: continet liber eius Cei insulae descriptionem atque historiam ab antiquissimis temporibus usque ad bella Persarum. De insulae quidem descriptione Br. optime meritus est et paucissimas res si excipias (ut urbis Poiessae situm) investigationes eius hodie quoque probantur. Contra quae de insulae hi-

---

1) Broendsted, Reisen u. Untersuchungen in Gr., I Paris 1826. cf. Boeckh, kl. Schrift. VII p. 329 sq.; C. O. Müller, kl. Schrift. I p. 55 sq.

storia protulit prorsus sunt obsoleta, neque res ab illo expositas si examinamus — ut omittam permultos titulos eosque gravissimos post Br. inventos — est quod magnopere doleamus non potuisse Br. persequi disputationem de Cei insulae historia institutisque. Cum insula, quam postea etiam adierunt, Fiedler, Brandis, Ross, Miliarakis, saepissime sit descripta (cf. Bursian, Neumann-Partsch, Miliarakis, Lolling)[1]) neque novi quicquam haberem quod adderem, aptissimum existimavi Cap. I breviter gravissima ex legentium usu paucis comprehendere. Optima Cei insulae tabula exstat in altero Miliarakis libro. De insulae notitia praeterea optime meruerunt viri clarissimi U. Koehler et Halbherr: Koehler in disputatiunculis suis[2]) tres titulos eosque gravissimos edidit commentariisque luculentissimis illustravit; Halbherr[3]) a. 1883 insulam ipse vidit et magnum titulorum numerum partim primus edidit partim denuo exscripsit omnesque commentariis gravissimis instruxit. Gilberti expositio (Hdbuch II p. 203 sq.) nullius est momenti: is enim quae ex libris titulisque excerpserat temere atque sine iudicio composuit, cf. quae de priore sympolitia exposui (qua in re mihi non plures tituli praesto fuerunt quam Gilberto), de Julietarum προστάταις etc.

His fundamentis adminiculisque nisus Cei insulae historiam publicasque res quantum potui restituere conatus sum. De dispositione non est quod verba faciam, cum ex argumentis optime colligi possit; hoc unum monuerim, invitum me fecisse, ut Cap. II § 1 antiquissima tempora tractarem, nam res illas scopuloso difficilique in loco versari quis est quin sciat: atqui tempora illa omitti non poterant. Restat, ut pauca dieam de appendice epigraphica. Disputatiuncula enim haec cum maximam partem nitatur documentis epigraphicis neque vero ulla exstet omnium Cei insulae titulorum sylloge, ad quam remittantur, qui legunt, necessarium existimavi omnes titulos huic disputationi subiungere; unicuique titulo adiunxi omnes commentarios, qui de illo compositi erant. Ceterum manifestum est in appendice illa recipiendos fuisse non solum titulos in insula repertos, sed etiam eos, qui ad

---

1) Bursian, Geogr. v. Gr. II p. 345 sq.; Neumann-Partsch, Physik. Geogr. v. Gr. multis locis; *Μηλιαράκης, Κυκλαδικά*, Athen. 1874 atque *Ἄνδρως, Κέως*, Athen. 1880; Lolling in Iw. Müller Hbuch III p. 204 sq. Miliarakis libri mihi hic praesto non erant, sed eos cursim Berolini inspexi, at eo quidem tempore, cum colligendae materiae essem intentus.

2) Mitth. I p. 139 sq.; II p. 142 sq.; IX p. 271 sq.

3) Museo Italiano I (1885) p. 191 sq.; Mitth. IX p. 319 sq.

Cei insulae historiam institutaque pertinentes aliunde possent repeti. Titulos disposui secundum urbes, exceptis tantum titulis Ceis originis incertae, qui nisi secundum argumenta disponi non poterant. In singulis deinde urbibus quoad fieri potuit ordinem secutus sum temporum, quae sane non semper definiri poterant (neque enim novis apographis uti poteram, neque vetera semper erant certa), sed ex ordine quo tituli enumerati sunt commode colligi potest, qua fere aetate exarati esse mihi videantur. Iisdem ipsis de causis neque titulos omnes exscripsi neque nominum indicem a me compositum apposui, cum incertissimis infidisque persaepe nitantur fundamentis. Abbreviationibus in appendice epigraphica usus sum his:

BdCH = Bulletin de correspondance Hellénique.
Bechtel JJD = Inschriften des ion. Dialekts, Abh. d. Gött. Ges. d. Wiss. XXXIV (1887).
[Cauer, Delectus[2] = Delectus inscr. Graec. propter dialectum memorabilium. Iterum composuit P. Cauer, Lipsiae 1883.]
CIA = Corpus inscr. Atticarum.
CIG = Corpus inscr. Graecarum.
Ditt. Syll. = Dittenberger, Sylloge inscr. Graec. Lipsiae 1883.
[Ephem. = Ἐφημερὶς Ἀρχαιολογική, περίοδος πρώτη, Athen 1837—60.]
[Hicks, manual = A manual of greek histor. inscriptions, Oxford 1882.]
Larfeld B. J. = Bursians Jahresberichte 1889 vol. 60.
Lebas = Voyage archéol. en Grèce et en Asie mineure.
Mitth. = Mittheilungen d. deutsch. arch. Inst. in Athen.
Mus. = Museo Italiano, I Firenze 1885.
Rang. = Rangabé, Antiquités Helléniques.
[Roberts Introd. = An introduction to greek epigraphy, I 1887 Cambridge.]
Roehl IGA = Inscr. Graec. Antiquissimae, Berolini 1882.

Libri, quos uncis quadratis inclusi, Dorpati mihi praesto non erant; ceterum cum Berolini singulos numeros in schedas meas rettulissem, numeros illos etiam in appendice ubique adnotare minime dubitavi, etsi libris ipsis Dorpati uti non potui. Sylloges a Darestio Haussoullierio Reinachio confectae (Recueil des inscr. juridiques grecques, I Paris 1891) nisi in adnotationibus, disputationis autem de Atheniensium civitatis iure a Schoeffero nuperrime lingua Rossica conscriptae nisi in addendis rationem habere non potui.

Jam vero reliquum est, ut gratias agam quam maximas omnibus iis, qui haec studia mea liberaliter adiuverunt. Ac primo quidem loco nominandus mihi est U. Koehler, praeceptor carissimus, qui non solum huius laboris suscipiendi auctor exstitit, sed etiam per omne tempus nunquam ad suadendum non erat paratus. Neque minorem debeo gratiam Halbherro, qui quinque titulos summa liberalitate mecum communicavit permisitque ut eos in appendice ederem, deinde Lollingio, qui me rogante benignissime nonnulla nova apographa ectypaque confecit, denique Fougères'io, qui mihi titulum Deliacum ineditum misit.

Scrib. Dorpati Livonorum
mense Aprili a. 1892.

I. Cei insulae descriptio.

Haud procul ab ora Attica, media inter Euboeam et Cythnum, sita est insula Ceos (Κέως), quam Romani etiam Ceam appellabant[1]) quaeque hodie vocatur Tziá. Insula c. 173,4 qkm. circuitu patet[2]). Montes, qui per totam insulam porriguntur (summus mons, Hag. Elias, prope Julida situs est), ad continua montium pertinent iuga, quae ab Attica paeninsula incipiunt atque Helenam, Ceum, Cythnum, Seriphum, Siphnum, Pholegandrum complectuntur[3]). Montes illi metallorum erant fertilissimi ideoque satis multa in insula Ceo erant metalla, quorum vestigia hodie quoque exstant: „auf Keos“, inquiunt Neumann-Partsch[4]), „haben die Alten an der Ostküste sehr eifrig gebaut, theils auf Roth-, theils auf Braun-

1) cf. Plin. n. h. IV 12, 62 Ceos — quam nostri quidam dixere Ceam.

2) cf. Strelbitzky, Superficie de l'Europe. Publication du comité central Russe de Statistique, St. Pétersbourg 1882 p. 154; Beloch, Bevölkerung d. gr.-röm. Welt, Leipzig 1886 p. 178; Lolling, Iw. Mueller's Hdbuch. III, p. 204. Wisotzky (Behm und Wagner, die Bevölkerung d. Erde VI, p. 16 in Petermann's Mitth. Ergb. XIV n. 62) autem circuitum c. 103 qkm. fuisse docet eumque Bursian (Ersch und Gruber s. v. Keos) secutus est. Sed Strelbitzkii numeris maior fides habetur.

3) cf. Neumann-Partsch, Physikal. Geogr. v. Griech., Breslau 1885, p. 131.

4) l. l. p. 234; cf. praeterea Blümner, Technol. und Terminol. IV, p. 75, 76 not. 1; Cordella, La Grèce sous le rapport géol. et minéral., Paris 1878. p. 78 sq, 124 sq; „Sur différents points de l'île, principalement au nord, se trouve d'anciennes exploitations.“

eisenerz, und namentlich in ein Lager des letzteren, eine Stunde südöstlich von Kalamo, nach allen Richtungen ihre Stollen hineingetrieben.“ Multo magis autem, quam varia illa ferri genera, innotuit rubrica Cea, quam optimam fuisse dixit Theophrastus [1]), cuius verbis eo maiorem fidem tribuere possumus, cum ex decreto quodam discamus, Athenienses rubricam illam plurimi aestimasse atque pepigisse eos cum Cei insulae urbibus de rubrica nisi Athenas non exportanda [2]).

Insula etsi maxime est montuosa, nihilominus inter fertilissimas numeratur Cycladas. „Dem Pflanzenwuchs“, inquit Partsch [3]), „bieten die krystallinischen Schiefer in einer ziemlich mächtigen Verwitterungskrume eine vortreffliche Grundlage. Unter den Kykladen sind diejenigen die fruchtbarsten, welche — wie Naxos und Keos — ganz überwiegend mürbe Glimmerschiefer an ihrer Oberfläche haben“. Fertilitatis permulta habemus veterum scriptorum testimonia, quae singula adferre nolo, cum a Broendstedio Bursianoque sint enumerata [4]). Gignuntur quidem in insula Ceo vinum, fici, mel, poma calidioribus terris oriri assueta, quercus (quercus aegilops) quarum glandes hodie quoque imprimis exportantur, fungi, cicutae, bombyx. Cei etiam pecuariam faciebant [5]), etsi non multi in hac re erant. Aeschylides quidem ,,κατὰ τὴν Κείων γῆν πρόβατα γίνεσθαι ὀλίγα ἑκάστῳ τῶν γεωργῶν φησι. τὸ δὲ αἴτιον, λεπτόγεών τε εἶναι τὴν Κέω ἰσχυρῶς καὶ νομὰς οὐκ ἔχειν.“ Idem Aeschylides narrat Ceos caseos ovillos fecisse eosque appellasse Cythnios [6]).

---

1) Theophr. *π. λίθ.* 52: *βελτίστη δὲ δοκεῖ μίλτος ἡ Κεία εἶναι.* cf. Blümner l. l. p. 478 sq; 482; Böckh, Staatsh. d. Ath. II³, p. 315 sq.

2) cf. n. 128 et 129.

3) Neumann-Partsch l. l. p. 211.

4) cf. Broendsted, Reis. und Forsch. I, p. 79 sq; Bursian, Geogr. v. Gr. II, p. 468. [*Μηλιαράκης, Κυκλαδικά* p. 46 sq, quod quidem memini, idem fecit].

5) Aeschylides apud Aelian. *π. ζώων* XVI 32; Verg. Georg. I 14 sq.

6) Büchsenschütz, Bes. und Erw. p. 314, not. 1; Hermann-Blümner, gr. Privatalt, p. 228, not. 5; Boeckh. Staatsh. d. Ath. I³, p. 130 e.

Fluvii vel potius rivi, quibus Ceos abundat, montibus per angustam insulam porrectis, nisi parvi esse non possunt. Strabo (X 486) unum tantum commemorat: „ἔστι δὲ καὶ Ἔλιξος ποταμὸς περὶ τὴν Κορησίαν." Rivus ille, qui hodie vocatur „τὸ ποτάμι", originem habet prope Julida atque effunditur in Coresiorum portum. De reliquis rivis nihil habemus compertum. Propter aquarum abundantiam Ceos, similiter atque Andros et Tenos, a poëtis etiam Hydrusa (Ὑδροῦσα vel Ὕδρουσα) appellabatur [1]).

De insula nonnulli veteres geographi permira fabulosaque protulerunt. „Ceos", inquit Plin. (n. h. IV 12, 62), „quam nostri dixere Ceam, Graeci et Hydrusam, avolsam Euboeae. quingentos longa stadios fuit quondam, mox quattuor fere partibus quae ad Boeotiam vergebant eodem mari devoratis oppida habet reliqua Julida, Carthaeam, intercidere Coresus, Poeessa", deinde (n. h. II, 92, 206): „Ex insula Cea amplius triginta milia passuum abrupta subito cum pluribus mortalibus (Pontus) rapuit." Quod Plinius Ceum ab Euboea avolsam esse putat, hoc minime factum esse potest: ergo non est, quod pluribus de hac re dicam. Aliter autem se habet terrae ille motus, quem etiam Plinius commemorat. Bursian [2]) Plinium prorsus errasse quaeque a Strabone narrata sint non recte intellexisse existimat; sed rectius Neumann et Partsch [3]) de hac re iudicāverunt: „Die stärkste den Alten in Erinnerung gebliebene Katastrophe scheint Keos betroffen zu haben, wenn auch der durch ein gewaltiges Erdbeben abgerissene und versenkte Theil der Insel nicht so umfangreich gewesen sein wird, wie die Ueberlieferung sagt." Manifestum est terrae illum motum non prorsus esse fictum, neque minus apparet, quomodo apud Plinium erratum illud sit ortum. Strabonis enim verba sunt haec (X 486): „Κέως δὲ τετράπολις μὲν ὑπῆρξε, λείπονται

1) Plin. n. h. IV, 12, 62 et 65; Heracl. Pont. F. H. G. II, p. 214; Hesych. s. v, Ὕδρουσα. De notabili quodam fonte cf. Ariston, F. H. G. III 325, 5; Plin. n. h. XXXI, 2, 12; Vitruv VIII, 3; Bröndsted l. l. p. 81 sq.

2) Bursian, Geogr. v. Gr. II, p. 469 et not. 1.

3) Neumann-Partsch, l. l. p. 331.

δὲ δύο, ἥ τε Ἰουλὶς καὶ ἡ Καρθαία, εἰς ἃς συνεπολίσθησαν αἱ λοιπαί, ἡ μὲν Ποιῆσσα εἰς τὴν Καρθαίαν ἡ δὲ Κορησία εἰς τὴν Ἰουλίδα." Plin. II 92, 206 vero simpliciter narrat, insulae partem terrae motu fluctibus obrutam esse; quartum autem librum cum scriberet, in fonte suo (haud dubie Eratosthene) ea fere invenit, quae nunc exstant apud Strabonem, qui eundem Eratosthenem secutus esse videtur [1]). Has duas res immane quantum discrepantes Plinius temere conexuit — quale erratum non semel in Plinii libris occurrit.

De incolarum numero nihil accepimus. Beloch [2]) in insula Ceo a. 425/4 c. 2000 cives fuisse putat: qui numerus sane prorsus est incertus. Veteres scriptores frequenter laudant salubrem insulae naturam, ideoque incolarum numerum satis magnum fuisse dicunt [3]).

Jam vero ad ipsas Cei insulae urbes transeamus, quas quattuor fuisse ex Strabonis Pliniique locis supra allatis patet: Carthaea, Julis, Coresus, Poiessa. Urbium illarum situs cum a Broendstedio — si Poiessam exceperis — accuratius sint definiti, pauca quae cognitione digna sint adferam.

Antiquissimam superioribusque temporibus nobilissimam urbem equidem Carthaeam fuisse existimo [4]), neque sine certa causa hoc contendo. Ac primum quidem traditum est, Phoenices et Cares primos insulam incoluisse. De re ipsa infra dicam [5]). Hic tantum monuerim, ex urbis nomine fortasse iure colligi posse, Carthaeam a Phoenicibus esse conditam. Olshausen quidem contendit — id quod diiudicare

---

1) Strabone Plinium usum non esse non est quod dicam.

2) Beloch l. l. p. 181.

3) Heracl. Pont. l. l.; Strabo l. l., nam Strabonis verba *τοῦ διαρκεῖν τοῖς ἄλλοις τὴν τροφήν* huc pertinere Broendsted l. l. p. 64, 4 iure docuit.

4) Haec cum scripsissem animadverti Kiepertum similiter dixisse, fuisse Carthaeam antiquissimam insulae urbem cf. Lehrbuch d. alt. Geogr., Berlin 1878 p. 252 not. 3: „Colonien desselben Volkes (Phönicier) bezeugen Namen wie — die Stadt Karthaea auf Keos, offenbar die älteste der Insel."

5) cf. cap. II p. 12 sq.

non possum — nomen Κάρθαια vel Καρθαία corruptum esse ex Melcarteia: equidem hoc unum dixerim, urbis nomen fortasse fuisse Phoenicium, sed probari hoc minime posse[1]). Nullius vero sunt momenti, quae legimus apud Steph. Byz. s. v. Κάρθαια· μία τῆς ἐν Κέῳ τετραπόλεως, ἀπὸ Καρθίου τελευτήσαντος ἐκεῖ. Deinde manifestum est, maritimam urbem temporibus illis et prius esse conditam et magis floruisse, quam mediterraneam (sc. Julida). Testantur hoc insuper satis multi tituli, de quibus infra uberius erit dicendum. Carthaea in litore inter meridiem et ortum solis spectante sita erat. Etsi sinus Carthaeensis naves haud multum tuetur, nihilominus urbs illa celebre et frequens habuit emporium, id quod colligere possumus vel ex proxenorum catalogo nuper invento (n. 10). In ipso litore attollitur rupes, in cuius inferiore parte erat templum Apollinis Pythii[2]); in superiore parte erant templum Dianae[3]) atque χορηγεῖον ab Athenaeo commemoratum[4]). De arce ipsa (ἀκρόπολις), quae scalis cum rupe illa erat coniuncta, nihil fere habeo quod dicam, quia praeter moenium ruinas atque fundamenta quaedam, quae Broendsted falso ad propugnacula pertinuisse existimavit, nihil superest. Ruinarum status maxime est miserabilis. „Le rovine del tempio (sc. Apollinis)", inquit Halbherr[5]), „sono in uno stato del tutto deplorevole: il gran muro della terrazza sfasciato in

---

1) cf. Bursian l. l. p. 472; Kiepert l. l.; Ed. Meyer, Gesch. d. Alt. I p. 231 sq; Busolt, gr. Gesch. I p. 175 not. 1; p. 177; Poehlmann: Iw. Müller's Hdb. III, p. 365 not. 2; Enmann, Kypros u. d. Ursprung d. Aphroditekultus, St. Petersburg 1886 p. 7 sq. Pietschmann, Gesch. d. Phön. Berl. 1889 p. 280.

2) De rupe cf. Bröndsted l. l. p. 14 sq. et tabb. VI, VII, VIII. Apollinis Pythii templum Athen X 456 f. tectoriis ornatum fuisse narrat: *ἀναγεγράφθαι ἐν τῷ τοῦ Ἀπόλλωνος ἱερῷ τὸν Τρωικὸν μῦθον, ἐν ᾧ ὁ Ἐπειὼς ὑδροφορεῖ τοῖς Ἀτρείδαις.*

3) cf. Anton. Liberal. 1 (Westermann, Mythogr. Gr. p. 201 sq.)

4) Athen: X 456 f: „*εἶναι δὲ τὸ χορηγεῖον ἄνω πρὸς Ἀπόλλωνος ἱερῷ μακρὰν τῆς θαλάσσης.*" Broendsted p. 98 sq. iure coniecit *οὐ μακρὰν τῆς θαλάσσης*, nam aliter verba illa intellegi non possunt. De *χορηγείῳ* cf. infra cap. II § 5.

5) Mus. Ital. I p. 212, not. 4.

un punto è parte caduto, parte in procinto di cadere, insieme con molti marmi, nel mare.“ Neque illud videtur omittendum esse, in inferiore urbis parte caveam parvuli theatri esse servatam [1]). In inferiore urbis parte haud dubie erant etiam templa deorum, qui praeterea Carthaeae colebantur: Veneris, Cereris, Dionysi, Aesculapii [2]).

Aetate quidem recentior, posterioribus autem temporibus longe florentissima nobilissimaque insulae urbs erat Julis (Ἰουλίς), cuius nomen Steph. Byz. a fonte petitum esse dixit: „Ἰουλίς · πόλις ἐν Κέῳ τῇ νήσῳ ἀπὸ Ἰουλίδος κρήνης“, sed huic testimonio non maior fides tribuenda est, quam iis quae idem de Carthaea adnotavit. Hodie Julis (Tziá) totius insulae est caput. Julietae, etsi urbs eorum in media insula erat sita, nihilominus magnas faciebant mercaturas. Κεῖται δ' ἐν ὄρει, inquit Strabo [3]), τῆς θαλάττης διέχουσα ἡ πόλις ὅσον πέντε καὶ εἴκοσι σταδίους, ἐπίνειον δ' ἐστὶν αὐτῆς τὸ χωρίον ἐν ᾧ ἵδρυτο ἡ Κορησία κατοικίαν οὐδὲ κώμης ἔχουσα. Julietarum portus iuxta Coresiam fuisse videtur. Julis ipsa, de qua Strabo dicit „κεῖται δ' ἐν ὄρει“, applicata est monti „Hag. Elias“, de quo supra dixi. In septemtrionali urbis parte arx sita erat; in qua arce similiter atque Carthaeae, magnum Apollinis Pythii templum erat [4]). In inferiore autem urbis parte haud dubie erant sacra Dianae, Mercurii [5]), Dionysi [6]); commemoratur praeterea ἱερὸν Ἀφροδίτης Κτησύλλας [7]). Haud procul ab urbe (et quidem ad orientem spectans) distat eximiae magnitudinis ille leo, de quo infra uberius dicam. Julide orti

1) Broendsted, p. 15; Müller, Lehrb. d. gr. Bühnenalt. p. 8 cf. infra cap. II, § 5.

2) De templo Aesculapii cf. Halbherr, Mus. Ital. I, p. 216.

3) Strab. X 486.

4) Colligere hoc possumus ex duobus titulis n. 37 et n. 127 v. 22 sq. Apollinis cultum satis multi tituli probant; cf. cap. III § 5.

5) Mercurii sacellum in gymnasio erat, cf. tit. n. 57 et 58.

6) Colebantur Julide etiam Jupiter et Minerva, sed de templis eorum nihil habemus compertum.

7) Anton. Liber. 1 (Westermann, Myth. gr. p. 202). cf. Buttmann, Mythol. II, p. 115 sq. imprimis p. 128 sq. Dilthey, de Callimachi Cydippa, Lips. 1863.

sunt [1]): poëtae Simonides et Bacchylides, Erasistratus medicus, Ariston Peripateticus, praeterea etiam Prodicus sophistes, qui a Strabone et Stephano non commemoratur. Non alienum denique videtur ea adferre, quae Plut. Demosth. 1 in universum de Julide adnotavit: τὴν Ἰουλίδα μέρος μικρὸν οὖσαν οὐ μεγάλης νήσου τῆς Κέω — ὑποκριτὰς μὲν ἀγαθοὺς τρέφειν καὶ ποιητάς; Plutarchus artes illas ἐν ταῖς ἀδόξοις καὶ ταπειναῖς πόλεσιν ἀπομαραίνεσθαι dicit, ergo Julide florebant.

Supra vidimus, Julietarum portum iuxta Coresiam fuisse. Urbs illa, quae Κορησσός vel Κορησία dicebatur [2]), c. 25 stad. ab Julide distabat habebatque optimum Cei insulae portum, qui hodie quoque permagni aestimatur. Nihilominus Coresiorum emporium numquam eandem habuit auctoritatem atque Julietarum Carthaeensiumque. Neque vero est quod miremur. Coresiorum enim emporium non potuit in perpetuum certare cum Julietarum emporio florentissimo, Carthaeensium autem emporium, etsi portus sine ullo fere erat praesidio contra ventos tempestatesque, loco situm erat adeo opportuno, ut certatio ibi ne cogitari quidem posset. Ἡ Κορησία,

1) Strabo l. l.; Steph. Byz. s. v. *Ἰουλίς*.

2) *Κορησσία*, quod Broendsted p. 86 et Wroth: Cat. of greek coins of Crete and the Aegean islands p. 93 exhibent, neque titulis neque nummis confirmari potest; codices autem non multum probant. Ceterum urbis nomen atque cultum Apollinis Sminthei Broendsted p. 87, C. O. Mueller, kl. Schr. I, p. 58, Halbherr, Mus. Ital. I, p. 194 Creticae fuisse originis putant. In Creta insula profecto invenitur *Κορησία λίμνη*, cf. Steph. Byz. s. v. *Κόριον*, Bursian, Geogr. Gr. II p. 545; deinde nonnulli scriptores narrant, Apollinis Sminthei cultum a Teucris ex Creta oriundis institutum esse. Sed de cultu illo in Creta nihil habemus compertum (cf. Preller-Robert, gr. Myth. I p. 255 not. 2) aliique scriptores cultum illum ab aliis institutum esse tradunt; praeterea *Κορησσός* appellatur etiam mons prope Ephesum (Strabo XIV 634, 640), exstant etiam Corassiae insulae (Strabo X 488). Ergo potest quidem Broendstedii sententia vera esse, sed pro certa eam minime habeo. Steph. Byz. l. l. scribit: *Κόριον, τόπος ἐν Κρήτῃ ἀπὸ κόρης τινός*. In Ceo colebantur nymphae (Heracl. de reb. publ. IX 1 F. H. G. II p. 214 sq), nymphae autem appellantur etiam *κόραι* (Preller-Plew, gr. Myth. I p. 593 not. 2). Ergo non intellego, cur urbis nomen nisi ex Creta petitum esse non possit.

inquit Strabo, κατοικίαν οὐδὲ κώμης ἔχουσα. ἔστι δὲ καὶ πρὸς τῇ Κορησίᾳ Σμινθαίου Ἀπόλλωνος ἱερὸν — ἔστι δὲ καὶ Ἔλιξος ποταμὸς περὶ τὴν Κορησίαν [1]). Steph. Byz. simpliciter adnotavit: „πολίχνιον τῆς Κέω καὶ ἐπίνειον.“ Neque nos plura de Coresia dicere possumus quam Strabo. Praeter templum Ἀπόλλωνος Σμινθαίου ex Coresiorum titulo n. 66 colligere possumus, fuisse Coresi etiam gymnasium, de quo infra uberius dicam [2]). Praeterea nihil de Coresiorum urbe habemus compertum, neque ruinae exstant, quae memoratu sint dignae.

Restat denique P o i e s s a (Ποιῆσσα, Ποιήσσιοι, vel Ποιᾶσσα, Ποιάσσιοι) [3]), cuius situm Broendsted non recte definivit: „Il Bröndsted,“ inquit Halbherr [4]), „chiama erroneamente Kúnduro il luogo dove esistono le rovine di Poiessa. Questo si nomina invece Ποίσαις.“ Sinus ille, qui hodie vocatur „Kavia Limani“, paulo plus in septemtriones spectat quam sinus Cundureus. De Poiessa Strabo haec adnotavit (X, 487): „ἔστι δὲ — Σμινθαίου Ἀπόλλωνος ἱερὸν καὶ πρὸς Ποιήσσῃ, μεταξὺ δὲ τοῦ ἱεροῦ καὶ τῶν τῆς Ποιήσσης ἐρειπίων τὸ τῆς Νεδουσίας Ἀθηνᾶς ἱερόν, ἱδρυσαμένου Νέστορος κατὰ τὴν ἐκ Τροίας ἐπάνοδον.“ De Apollinis Sminthei cultu cf. quae supra de eodem Coresiorum cultu dixi. De Minervae Nedusiae sacro, quod a Nestore conditum esse dicitur, nihil habemus comper-

---

1) De rivo illo, qui in Coresiorum portum effunditur, supra dixi.

2) cap. II § 3.

3) *Ποιήεσσα*, quod legimus apud Strabonem, Steph. Byz., Plinium etc. quodque hodie ab omnibus fere scriptoribus est receptum, in titulis nostris non invenitur. Neque codices ubique formam illam exhibent. Apud Steph. Byz. s. v. legendum existimo *Ποιῆσσα, πόλις τῆς Κέω . ὁ πολίτης Ποιήσσιος*, nam in cod. R exstat *Ποιήσσιος*, V *Ποιήσιος*, R et V *Ποιήεσα*, quod manifesto corruptum est ex „*Ποιῆσσα*“; similiter apud Plin. n. h. IV, 12, 62 nisi Poeessa scriptum esse non potest, cf. R poeessa, DE poeersa (sc. etiam poeessa), A. poessa; neque apud Strabonem codices consentiunt. Itaque forma „*Ποιήεσσα*“ aut nullam aut minimam habet auctoritatem. Nummi Poiessiorum nulli exstant. Halbherr, Mus. Ital. I p. 193 sq. formas *Ποιᾶσσα* et *Ποιάσσιοι* Doricas vel Aeolicas esse dixit. Sed cf. Bechtelium, qui eas iure Atticas esse probavit (Götting. Abh. 1887 p. 48).

4) Mus. Ital. I p. 219 not. 3.

tum. Adferunt viri docti alterum Strabonis locum (VIII, 360), sed locus ille, mea quidem sententia, minime huc pertinet; Strabonis verba haec sunt: „παρὰ δὲ Φηρὰς Νέδων ἐκβάλλει ῥέων διὰ τῆς Λακωνικῆς, ἕτερος ὢν τῆς Νέδας· ἔχει δ' ἱερὸν ἐπίσημον Ἀθηνᾶς Νεδουσίας. καὶ ἐν Ποιαέσσῃ δ' ἐστὶν Ἀθηνᾶς Νεδουσίας ἱερὸν ἐπώνυμον τόπου τινὸς Νέδοντος, ἐξ οὗ φασιν οἰκίσαι Τήλεκλον Ποιάεσσαν καὶ Ἐχειὰς καὶ Τράγιον." Est quidem res illa maxime controversa [1]). Broendsted (assentiente Boeckhio) tria nomina commutavit vel potius corrupit: scripsit enim pro Τήλεκλος — Τεῦκλος, pro Ἐχειάς — Σκιάς, pro Τράγιον — Τραγαία. Teuclum illum ex Ceorum oppidulo Nedonte profectum, Poiessam in insula Ceo, Tragaeam in insula Naxo, Sciam in Euboea condidisse putant. C. O. Muelleri sententia haec est: „der Tempel der Athena Nedusia zu Pöeesa auf Keos hat von einem Orte Nedon, in Messenien nämlich, woher Nestor den Tempel gegründet haben sollte, den Namen: dieses Nedon soll der spartanische König Teleklos zerstört und mit den Einwohnern desselben einige sonst unbekannte Orte, Tragion und Echeia (denn der Name Pöeessa an dieser zweiten Stelle scheint verdorben) bevölkert haben. Nur dies können die Worte: ἐξ οὗ φασιν οἰκίσαι Τήλεκλον Ποιήεσσαν heissen; der König Teleklos aber, der in der Nähe dieses Nedon den Tod gefunden haben soll (Paus. 4, 4, 2), passt vortrefflich in diesen Zusammenhang. Endlich gehört an die Stelle des Strabo weit mehr eine Notiz über die alte Geschichte von Messenien und Lakonika als die der Jonier." Groskurd praecise negavit, Poiessam illam esse Ceorum urbem, omnesque urbes a Strabone commemoratas in Laconica sitas esse docuit. Halbherr rem in medio reliquit; ceterum Poiessam Ceorum urbem esse dixit. Meineke verba illa inde a καὶ ἐν Ποιαέσσῃ usque ad Τράγιον Strabonis esse negavit. Sententiarum illarum, (quarum pessima est Broendstedii), nullam

1) Broendsted l. l. p. 88 sq.; Boeckh, kl. Schr. VII, p. 356 sq.; C. O. Mueller, kl. d. Schr. I p. 58 sq.; Groskurd, Strabons Erdbeschreibung II p. 57 not. 4; Halbherr, Mus. Ital. I p. 193; Meineke ed. Strab. II p. V 511, 23—25.

equidem veram esse existimo, sed nolo eas singulas refutare. Etsi Boeckh nimis fidenter scripsit: „Diese (sc. Broendstedii) sehr glückliche Auslegung muss man festhalten und andere Vermuthungen zurückweisen," equidem nihilominus ipse quid sentiam exponam, sententia autem mea per se aliorum sententias refutabit. Ac maxime quidem miror, quomodo viri docti locum illum Strabonis non recte intellexerint. Locum enim sine opinione praeiudicata si examinamus, necesse est statuamus, verba καὶ ἐν Ποιαέσσῃ δ' ἐστὶν Ἀθηνᾶς Νεδουσίας ἱερόν lectoris cuiusdam esse glossema [1]): rem ipsam lector ille in Strab. X, 487 invenit atque in margine adscripsit, librarius autem quidam verba illa in textum recepit. Quibus concessis omnes loci difficultates tolluntur. Legendum enim est: ἔχει δ' ἱερόν, ἐπίσημον Ἀθηνᾶς Νεδουσίας, ἐπώνυμον τόπου τινὸς Νέδοντος κτλ. Agitur ergo de locis Messeniis vel Laconicis, neque hoc ad hanc de Ceorum Poiessa quaestionem pertinet [2]). Enumeratur sane quidem inter urbes a Teleclo conditas Poiessa, sed C. O. Mueller iure nomen illud corruptum esse dixit: quomodo nomen illud restitui possit, nescio, neque hoc permagni est momenti. Corruptelam illam ortam esse existimo, postquam glossema illud in textum receptum est. Sed haec alia quaestio: ad Ceorum Poiessam revertamur. Quae urbs numquam magni momenti fuisse videtur; Strabonis temporibus Poiessa deserta et strata erat ruinis. Medium fere inter Poiessam et Iulida est monasterium Hag. Marinae, in cuius area stat antiqua turris fere integra, quam Broendsted (p. 26 sq.) accuratius descripsit.

1) Meineke totum enuntiatum a Strabone abiudicavit, falso quidem, nam intellegere non possum, cur lector quidam totam illam digressionem ibi addiderit; neque patet, unde exscripserit, neque loci illius difficultates tolluntur.

2) cf. Steph. Byz. s. v. Νέδων.

II. Cei insulae historia.

1. Tempora antiquissima.

In Atheniensium reipublicae rebus describendis qui versantur multo meliore utuntur fortuna, quam qui alius civitatis praesertim exiguae insulae res perscrutandas sibi proposuerint: nam praeter innumerabilem fere titulorum numerum, praeter permulta veterum scriptorum testimonia de Republica Atheniensium nuperrime inventus est commentarius praeclarissimus, qui quin ab Aristotele scriptus sit non est quod dubitemus.

Aristotelem etiam de Cei insulae rebus libellum conscripsisse constat, sed praeter pusillum fragmentum nihil de libello illo servatum est. Sopater enim (Phot. cod. 161) inter fontes libri XII se Aristotelis πολιτείαν Κείων habuisse dicit: nam quod Κίων scriptum est, id manifesto ex „Κείων" corruptum est [1]). Fragmentum illud, quod Ross l. l. attulit, nullius est momenti, cum res de Aristaeo nymphisque notissimas contineat [2]). Itaque deficiente duce illo spectatissimo ipsi Cei insulae historiam ex paucis titulorum paucioribusque veterum scriptorum locis, quoad fieri potest, restituere conabimur.

Sed priusquam ad rem ipsam accedam, hoc unum mo-

1) cf. Rose, Aristot. Pseudepigr. p. 477 frg. 126 (463).

2) Broendsted mirum in modum p. 57 sq. fragmentum ex Aristotelis *Κιανῶν πολιτείᾳ* (Rose, l. l. p. 479 frg. 129 (466); Müller, F. H. G. II p. 161, frg. 187) ad Ceorum *πολιτείαν* pertinere putavit: quod falsissimum esse totius fragmenti argumentum docet, cf. Boeckh, kl. Schr. VII p. 344.

nuerim. Cei insulae sicut aliarum civitatum res incipiunt ab aetate fabulosa, praeterea Cretes, Cares, Phoenices insulam habitasse dicuntur: quas res maxime esse controversas, nemo est quin sciat. De rebus illis si singulas sententias adferre singulasque refutare vel probare vellem, de unaquaque re suum caput conscribendum mihi esset. Quod cum huius libri non sit, satis erit quae mihi vera esse videantur paucis enarrare.

Heròdotus VIII 46 et Thucydides VII 57,4 Ceos „ἔθνος Ἰωνικὸν ἀπὸ Ἀθηνέων" fuisse dicunt, sed Jones non primos insulae fuisse incolas ex se intellegitur neque aut Herodotus aut Thucydides hoc contendere voluisse videntur [1]). De priscis insulae incolis veteres scriptores certi nihil habebant compertum; satis multa quidem ab iis memoriae tradita accepimus, sed ea maxime inter se repugnant neque certo coniungi possunt. Itaque singula deinceps recenseamus.

Atque duplex quidem de antiquissimis Cei insulae incolis memoria distinguenda est: quae in universum de Cycladibus accepimus, quaeque de ipsa insula Ceo tradita sunt. Incipiamus a priore genere, ad quod pertinent ea, quae de Caribus, Cretibus, Phoenicibus memoriae prodita sunt.

Cycladas primi incoluerunt Cares: in hac re omnes fere scriptores et veteres (Herodotus, Thucydides, Strabo, alii) et recentiores consentiunt. Quaeritur autem, quae Caribus intercesserit ratio cum Cretibus Phoenicibusque. De Cretibus, ut ab iis incipiam, Herodotus et Thucydides dissentiunt. Ille enim (I 171) Cares Minoi paruisse dicit, hic autem (I 4 et 8) Minoem Cares ex insulis expulisse ipsumque dominatum occupasse narrat. Thucydides manifesto Herodotum, sicut saepissime, corrigere studuit, sed etiam haec sententia propior fabulis est quam historiae, cum Minos ad heroica tempora sit referendus. Quo sublato ex Herodoti Thucydidisque verbis concludere possumus, Cretes antiquissimis illis temporibus

1) cf. Her. VII 95. *νησιῶται δὲ ἑπταχαίδεκα παρείχοντο νέας, ὡπλισμένοι ὡς Ἕλληνες. καὶ τοῦτο Πελασγικὸν ἔθνος, ὕστερον δὲ Ἰωνικὸν ἐκλήθη.*

multum valuisse auctoritate. Jam vero oritur quaestio, rectene Broendsted, C. O. Mueller, Halbherr in insula Ceo Cretum vestigia exstare sibi visi sint. Muellerum falso nonnullos Ceorum mores ex Creta repetiisse mox videbimus: sunt enim Locrorum moribus simillimi. Paulo difficilius est diiudicare, num urbis Coresiae nomen Apollinisque Sminthei Coresiae Poiessaeque cultus re vera Creticae sint originis, id quod viri illi docti contendunt. De illa re cum supra uberius dixerim (p. 7 sq.) hoc unum monuerim, sententiam illam fortasse esse veram, sed pro certa minime haberi posse, cum utrumque etiam aliter explicari possit.

Neque plura scimus de Phoenicibus. Est quidem res illa maxime controversa, virique docti, qui de hac re egerunt, in tres partes discedunt. Sunt enim qui Phoenices omne mare Aegaeum obtinuisse et ubique colonias constituisse dicant; sunt deinde qui omnia denegent Phoenicesque nihil aliud nisi institores fuisse censeant; sunt denique qui mediam quandam viam teneant, ut Busolt, Holm, E. Meyer, alii. Mihi quidem quam ad extremum attuli sententia proxime ad veritatem accedere videtur. Optime de Phoenicibus egit E. Meyer [1]: „An gesicherten und zum Verkehr mit den Einheimischen geeigneten Hafenorten, am liebsten auf kleinen Inseln, liessen sie sich nieder und gründeten ihre Factoreien (vgl. Thuk. VI 2) [2]... Im Allgemeinen mochten sich die Eingeborenen diese Exploitirung durch die fremden Seefahrer ruhig gefallen lassen; nur wo wie in Griechenland eine hochbegabte Nation ansässig war, begann sie allmählig von ihnen zu lernen, selbst Schiffe zu bauen, Seeraub und Handel zu treiben, die fremden Ansiedelungen zu occupiren. Einer derartigen Concurrenz sich zu erwehren, besassen die Phönicier keine Mittel; langsam aber stätig und wie es scheint meist ohne grösseren Kampf wurden

1) E. Meyer, Gesch. d. Alterthums, I p. 231 sq.

2) Thuc. VI 2, 6: *ᾤκουν δὲ καὶ Φοίνικες περὶ πᾶσαν μὲν τὴν Σικελίαν ἄκρας τε ἐπὶ τῇ θαλάσσῃ ἀπολαβόντες καὶ τὰ ἐπικείμενα νησίδια ἐ μ π ο ρ ί α ς ἕ ν ε κ ε ν τῆς πρὸς τοὺς Σικελούς· ἐπειδὴ δὲ οἱ Ἕλληνες πολλοὶ κατὰ θάλασσαν ἐπεσέπλεον, ἐ κ λ ι π ό ν τ ε ς τὰ πλείω* etc. Idem iure etiam de insulis maris Aegaei dici potest.

sie aus den griechischen Meeren verdrängt [1]), die an den einzelnen Stationen Ansässigen verjagt oder hellenisirt. Daher erklärt es sich, dass wir von den phönikischen Ansiedelungen in Griechenland nur so dürftige Kunde haben, ihre Spuren nur sehr schwer aufweisen können". Jam vero quaerendum est, Phoenices quando in insulis illis fuerint, et fuerintne etiam in insula Ceo. De priore quaestione hoc unum monuerim, nos quasi Phoeniciam quandam aetatem statuere non posse: equidem verisimillimum esse existimo, Phoenices eo tempore insulas illas frequentasse, cum a Caribus habitarentur [2]). Altera quaestio multo est difficilior. Mihi quidem persuasum est, Phoenices etiam Coum frequentasse, neque tantum in urbe Carthaea fuisse — cuius nomen fortasse Phoeniciae est originis (p. 4 sq.) — sed exercuisse etiam metalla, praecipue in insulae litore orienti obiecto.

Primi igitur insulam haud dubie incoluerunt Cares Phoenicesque; fortasse etiam Cretes cum Ceis habebant necessitudines. Cares Phoenicesque deinde a Graecis expulsi esse videntur: qui fuerint illi Graeci Herodotus I 171 generatim narrat: τοὺς Κᾶρας χρόνῳ ὕστερον πολλῷ Δωριέες τε καὶ Ἴωνες ἐξανέστησαν ἐκ τῶν νήσων. Haec res deducit nos ad alterum genus, ea dico, quae de ipsa insula Ceo tradita sunt. Quae memoria similiter triplex est: Arcades enim, Naupactii, Athenienses colonias in insulam misisse dicuntur. Sed res illas ut recte intellegamus, migrationem quam appellare consuevimus Jonicam paulo accuratius examinemus necesse est.

Jonica quae dicitur migratio [3]) ad maxime controversas

1) Hoc explicare non possunt, qui Phoenices colonias in insulis condidisse contendunt: colonias enim si habuissent, nunquam eas sine ullo fere certamine decoluissent, Thucydides autem l. l. diserte dicit ἐκλιπόντες.

2) Colligere hoc possumus, praeter nonnullas alias causas, etiam ex Thuc. I 8: καὶ οὐχ ἧσσον λῃσταὶ ἦσαν οἱ νησιῶται, Κᾶρές τε ὄντες καὶ Φοίνικες· οὗτοι γὰρ δὴ τὰς πλείστας τῶν νήσων ᾤκησαν.

3) Non meum est singulas dissertationes hic enumerare. cf. praecipue quae nuperrime de hac re disputaverunt Schoeffer, De Deli ins. reb. p. 6 sq., impr. p. 13; Tascher, Revue d. études grecq. IV

historiae Graecae pertinet quaestiones, de qua etiam nuper viri docti in duas partes discedebant: alii enim E. Curtii de primis Jonum sedibus sententiam sequebantur, alii eam impugnabant. Curtius enim recte docuit, quae Herodotus de migratione illa tradiderit (I 146 ἀπὸ τοῦ πρυτανηίου τοῦ Ἀθηνέων ὁρμηθέντες), ea minime probari posse, nam Jones iam pridem in Cycladibus et in Asiae Minoris litoribus viguisse, cum Athenae nullius essent momenti. Ceterum etiam Curtius erravit, quod Jones migrantes via prorsus contraria mare Aegaeum transiisse coniecit: sed de re illa mox infra videbimus. De Atheniensium ergo coloniis in insulas et Asiam Minorem deductis ne cogitari quidem potest. Colligere hoc possumus vel ex eo, quod ab Homero Athenienses silentio praetereuntur, id quod fieri non potuisset, si Athenae re vera Jonum fuissent metropolis. Porro viri docti unam rem neglexisse mihi videntur: quid enim, quaeso, Herodoto opus erat ubique diserte docere „Ἴωνες ἀπὸ Ἀθηνέων“, si res illa omnibus et lippis nota erat et tonsoribus? Praeterea permulta Jonum exstant vestigia, quae multo antiquiora sunt quam coloniae, quas Athenienses condere potuerint. Sed ne γλαῦκ' Ἀθήναζε tulisse videar, unum documentum adferam. Cyclades inde ab antiquissimis temporibus Amphictyoniae Deliacae erant participes summaque eorum sacra erant Apollinis Delii [1]); in hymno in Apollinem Delium inscripto sacra illa commemorantur, quos versus Schoeffer iure ad VII a. Chr. saec. initium refert. Illis autem temporibus atque multo post Athenae nullius erant momenti, ideoque (nisus praeterea documentis quae supra attuli) Athenienses antiquitus amphictyoniae participes fuisse cum Schoeffero praecise nego. Sed etiam ea, quae Curtii adversarii de ipsis Athenis docuerunt, probari non possunt. Jonum enim vestigia in ipsa Graeciae continenti si persequimur, non

(1891) p. 1 sq.; E. Meyer, Philol. N. F. II (1889) p. 268 sq.; N. F. III (1890) p. 479 sq.; E. Curtius, Hermes XXV (1890) p. 141 sq. atque Stadtgesch. v. Athen, Berl. 1891 p. 39; Toepffer, Theseus und Peirithoos, in commentationibus C. Roberto oblatis (Aus der Anomia) p. 30 sq.; Kirchner, Attica et Peloponnesiaca, Gryph. 1890.

1) cf. e. g. Thuc. III 104, 3 et Strab. X 485.

inveniuntur ea quidem nisi in septemtrionali litore Attico (tetrapolis Marathonia) et in litore Argolico. Quibus coloniis similiter atque insulis Asiaeque Minoris litoribus Apollinis sacra sunt propria, coloniasque illas antiquissimas naturamque earum peregrinam esse vel ex eo colligere possumus, quod tetrapolis Marathonia etiam posterioribus temporibus privatam theoriam Delum mittere solebat. Quodsi omnia Jonum vestigia in litoribus inveniuntur, coloniae illae manifesto a peregrinis qui mari advenerunt conditae sunt. Contra Meyerum ergo optime ipsius verba [1]) adferri possunt: „Eine Bevölkerung, welche auf einen schmalen Küstensaum beschränkt ist — und nicht einmal dieser ist vollständig besetzt — kann nicht im Lande heimisch, sondern muss über See gekommen sein". Sed eadem verba etiam Curtii sententiam refellunt, nam eadem ipsa de causa Jones etiam in Asia Minore indigenae fuisse non possunt.

Rem optime perspexit Toepffer. Docuit enim l. l. Jones illos ex Thessalia oriundos esse, sed inde emigrasse et in Euboeam, Atticam, Argolidem insulasque venisse — quae sententia satis certis confirmatur testimoniis. Jones originem suam repetebant ab Jone Xuthi filio, Xuthi autem nomen C. O. Mueller iure Apollinis cognomen esse docuit; quin etiam Jon ipse Apollinis filius appellatur. Thessalus ille Xuthus in tetrapoli Marathonia consedisse dicitur [2]), ergo in eodem ipso loco, ubi Jonum vestigia inveniri supra docui: etiam Apollinis sacra omnibus communia sic optime explicantur. Idem valet etiam de coloniis in Argolidis litoribus conditis. Kirchner nuper satis bene docuit, ex mythis fabulisque Atticae Peloponnesoque communibus minime colligi posse, alios ab aliis ea assumpsisse, sed peregre accepisse. De Thessalia hic facile cogitaveris, id quod re vera non sine aliqua probabilitatis specie probari potest. Sententiam nostram ergo sic fere paucis

1) cf. Philol. N. F. III (1890) p. 480.

2) „Warum gerade bei Marathon, weiss ich nicht" inquit Meyer l. l. p. 491. Sane si Meyeri de Jonibus sententiam sequimur, rem illam explicare non possumus. Sed mirum est Meyerum, qui ipse omnes locos huc pertinentes novit, non rectius rem illam perspexisse.

complectemur: Jones vetustissimis temporibus Thessaliam incoluerunt et quidem Phthiotida, unde Xuthus venisse dicitur. Ex Thessalia Jones demigraverunt consederuntque partim in Euboea, Attica, Argolide, partim in insulis in Asiaeque Minoris litoribus. Coloniarum illarum quasi nodus et vinculum erant sacra Apollinis Delii. Athenienses antiquitus amphictyoniae Deliacae non erant participes: sero demum, cum Athenae omnino Jonicae factae essent, Athenienses ad amphictyoniam accesserunt. Quod veteres scriptores Athenienses antiquitus primas in amphictyonia partes egisse tradunt, id postea in maiorem Atheniensium gloriam fictum esse patet. Nisi hunc fere in modum, difficultates probabiliter tolli non possunt.

Quibus praemissis nunc ad quaestionem de priscis Cei insulae incolis revertamur. Aptissimum equidem censeo ab Atheniensibus proficisci. Supra vidimus ab Herodoto Thucydideque Ceos appellari ἔθνος Ἰωνικὸν ἀπὸ Ἀθηνέων, praeterea diserte traditum est, Athenienses Thersidama duce coloniam in insulam Ceum deduxisse [1]). Sed haec Attica est relatio, ut supra vidimus, ergo nihil omnino probat, quaeque viri docti Atheniensium in insula Ceo vestigia vetustissima exstare sibi visi sunt, ea omnia manifesto ad Jones pertinent. Dixi supra Apollinis Pythii sacra omnibus Jonibus fuisse communia: similiter etiam in Cei insulae urbibus Apollinis Pythii erant templa, quorum nobilissimum mihi Carthaeae fuisse videtur. Deinde Ceos artissime cum Deliis coniunctos fuisse colligere possumus ex Herodoto, qui in insula Delo prope ipsum Artemisium Ceorum coenaculum fuisse dicit [2]): quae arta sacrorum communio ex re illa sequatur, non est quod pluribus doceam. In fabula illa, quam supra commemoravi, Acontius et Cydippa ad panegyrin Deliacam profecti esse narrantur, quae res etsi per se nihil probat, tamen cum aliis documentis coniuncta

1) cf. Schol. in Dionys. Perieg. 525 (Geogr. Gr. min. II p. 450): *ταύτας τὰς Κυκλάδας ἐπῴκησαν οἱ Ἀθηναῖοι καὶ ἡγήσαντο τῶν μὲν εἰς Κέων Θερσίδαμας* etc.

2) Her. IV 35: *ὄπισθε τοῦ Ἀρτεμισίου — ἀγχοτάτω τοῦ Κηίων ἱστιητορίου.*

non minimi facienda est. Similiter etiam Pindarus Ceis paeanem in usum theoriae Deliacae conscripserat [1]: quod cum prima V a. Chr. saec. parte factum sit, coniunctionem illam etiam illis temporibus mansisse apparet. Restat denique documentum et quidem gravissimum, Julietarum dico lex περὶ τῶν καταφθιμένων (n. 34), quam Koehler commentario luculentissimo instruxit. Koehler tituli aetatem optime definivit (tit. altera V a. Chr. s. parte exaratus est) iureque docuit, non novam legem esse rogatam, sed veterem, quae iam pridem lata esset, tum demum lapidi inscriptam. Etiam hoc Koehler optime intellexit, legem illam Solonis legi esse simillimam. Sed erravit, mea quidem sententia, (pace praeceptoris carissimi dixerim), quod Solonis legem Julietarum legis exemplar fuisse dixit. Rectius enim de hac re iudicavit Curtius [2]: „Das vorliegende Gesetz erneuerte alte Normen, und ich glaube, dass der wesentliche Inhalt dem altionischen Gemeindeleben angehört und mit dem Apollodienst nach Attica übertragen worden ist.“ Quae sententia, cum ex iis, quae supra dixi, ex se intellegatur, non est quod pluribus eam explicem. Ceterum lex illa ipsa hanc Curtii sententiam probat: legimus enim v. 12 προσφαγίωι [χ]ρε̄σθ[αι κ]ατὰ [τ]ὰ π[άτρια. Constituitur hic, ut sacrificia illa ex more maiorum (i. e. omnium Jonum) fierent. Quod vero verba κατὰ τὰ πάτρια hic diserte adscripta sunt, manifesto probat antiquam legem alibi esse immutatam, id quod de Athenis re vera constat. Legimus enim apud Plut. Sol. 21: ἐναγίζειν δὲ βοῦν οὐκ εἴασεν (sc. Solon), quod Solon nimirum fecit, ut modum sumptibus imponeret. Sed cave credas hanc Atheniensium perantiquam fuisse legem: est enim lex Jonica, quam Curtius iure una cum Apollinis sacris etiam in Atticam translatam fuisse docuit. Praeter illa, quae modo attuli, Jonum vestigia, exstant etiam nonnulla alia: quae ut recte intellegamus, necesse est ad ea, quae de Arcadibus Naupactiisque tradita sint transeamus.

---

1) Pindar. Prosod. *εἰς Δῆλον* et Schol. ad Isthm. I init. „*οἱ Κεῖοι Δηλιακὸν παιᾶνα ἠξίουν τὸν ποιητὴν γράψαι*“ vel „*μέλλοντος γὰρ Κείοις γράφειν προσοδιακὸν παιᾶνα.*“

2) E. Curtius, Hermes XXV 1890 p. 150, not. 3.

Atque Arcadum quidem memoria artissime coniuncta est cum Aristaei mytho: qua quidem de re duplex fama est [1]). Heraclides enim, qui res illas haud dubie ex Aristotelis libello exscripsit, atque pars scriptorum (quos singulos hic enumerare supervacaneum est) Aristaeum a nymphis — quas primas insulam incoluisse dicunt — in Ceo insula educatum et institutum esse referunt. Cum vero nymphae leonis adspectu conturbatae Carystum confugissent, Aristaeum subvenisse easque reduxisse. Pindarus Aristaeum deinde in Arcadiam se contulisse dicit. Apollonius autem Rhodius aliaque scriptorum pars fabulam illam sic narrant (cf. scholia l. l.) [2]) „τοῦ γὰρ κατηστερισμένου Κυνὸς φλέγοντος τὰς Κυκλάδας νήσους καὶ πολὺν χρόνον αὐχμοῦ τε καὶ ἀπορίας οὔσης οἱ τὴν Κέω κατοικοῦντες ἐκ θεοπροπίου ἐπεκαλέσαντο Ἀρισταῖον τὸν Ἀπόλλωνος καὶ Κυρήνης ἐκ Φθίας. ὁ δὲ παραλαβών τινας ἐξ Ἀρκαδίας ἦλθεν εἰς τὴν Κέω καὶ Διὸς ἱερὸν ἱδρύσατο Ἰκμαίου ἕνεκα τοῦ τοὺς ὄμβρους γίνεσθαι, καὶ τὸν Κύνα ἐξιλάσατο καὶ ἐνομοθέτησε κατ' ἐνιαυτὸν τοῖς Κείοις μεθ' ὅπλων ἐπιτηρεῖν τὴν ἐπιτολὴν τοῦ Κυνὸς καὶ θύειν αὐτῷ. ὅθεν οἱ ἐτησίαι πνέουσι καταψύχοντες τῷ θέρει τὴν γῆν, καὶ αὐχμοῦ ἀπηλλάγησαν οἱ Ἕλληνες .... καὶ καταχαλεσάμενος τοὺς ἐτησίας Ζεὺς Ἀρισταῖος ἐκλήθη. Reliquas de Aristaeo fabulas hic mittamus, cum nihil ad Cei insulae res pertineant [3]).

1) Heraclid. de reb publ. IX 1, 2 cf. Welcker, Gr. Götterl. I p. 487 sq.; Preller-Plew, Gr. Mythol. I p. 373 sq.; Schirmer in Roscher, Lexic. p. 547 sq. impr. p. 549 sq.; Blondel in Daremberg et Saglio, Dict. des ant. p. 424. Studniczka, Kyrene, Leipzig 1890, p. 133. Immerwahr, Die Kulte u. Mythen Arkadiens, I Leipzig 1891 p. 251 sq.

2) Apoll. Argonaut. II v. 516 sq. et Scholia v. 498 et 516 sq. Reliquos locos cf. in libris quos supra attuli.

3) Praeter Aristaei mythum tres exstant fabulae, quae ad insulam Ceum pertinent. Quas cum iisdem verbis enarrare supervacaneum sit, satis erit eas hic breviter enumerare. De Cyparisso fabula narratur ab Ovidio Metam. X v. 128 sq. et Lact. Plac., Narrat. X fab. 3. De Hermochare et Ctesylla cf. Anton. Liber. μεταμ. συναγ. 1 (Westermann Mythogr. Gr. p. 201 sq.) De Acontio et Cydippa cf. Aristaeneti epistulam I 10, Ovid Heroid. XX et XXI (Dilthey, De Callimachi Cydippa, Lipsiae 1863, p. 127 sq. et p. 137 sq.) Fabulas, quae de Hermochare et Ctesylla atque de Acontio et Cydippa narran-

Quae duae relationes his in rebus inter se discrepant. Prior relatio nymphas insulam incoluisse narrat, altera simpliciter dicit „οἱ τὴν Κέω κατοικοῦντες“, quibus verbis minime nymphas significatas esse totius loci argumentum docet; prior relatio Aristaeum in insula Ceo educatum esse dicit, in altera Aristaeus ab incolis peregre advocatur; in altera relatione Aristaeus cum Arcadibus subvenit, Pindarus autem Aristaeum postea in Arcadiam se contulisse narrat. Calamitatis descriptio eadem est, nam quod in priore relatione nymphae a leone exterritae insulam defugisse dicuntur, alteri relationi non repugnat: leo enim significat fervidum aestum, qui effecit, ut omnes insula fontes exarescerent [1]).

Mythologicae quaestiones cum a re proposita sint seiunctae, iam videamus, quem fructum ex fabulis illis ad Cei insulae historiam recte intellegendam percipere possimus. Quod veteres scriptores Aristaeum aut cum Parrhasiis ex Arcadia venisse aut postea in Arcadiam se contulisse narrant, collegerunt nimirum ex Aristaei Jovisque cultu et Ceis et Arcadibus communi. Ex cultu autem duabus civitatibus communi minime colligi posse, alteram de altera eum adsumpsisse supra docui [2]). Arcadum ergo coloniae, de quibus etiam huius aetatis scriptores verba faciunt, quae hac re tantum nituntur, prorsus tollendae sunt. Atqui scholium supra exscriptum non omnino neglegendum est. In priore enim scholii parte diserte scriptum est: ἐπεκαλέσαντο Ἀρισταῖον τὸν Ἀπόλλωνος καὶ

tur, simillimas esse, nemo est quin concedat. Sed Broendsted p. 52 falso Hermocharis Ctesyllaeque mythum alterius fabulae exemplar fuisse docuit: cf. contra Buttmann, Mythologus II p. 115 sq.; Dilthey, l. l., qui iure fabulam de Acontio et Cydippa principalem esse demonstraverunt.

1) Eximiae magnitudinis ille leo, qui prope Julida hodie quoque exstat, ex nativo saxo sculptus est. Broendsted iure haec adnotavit: „Das Felsenstück, woraus er gehauen ist, hat gewiss durch seine natürliche Form dem alten Bildhauer die Idee gegeben, der Natur nachzuhelfen.“ cf. Broendsted, p. 31; Wilamovitz, Heracles p. 291 not. 41.

2) Praeterea Aristaeum etiam alibi cultum fuisse notissimum est. cf. libros quos supra attuli.

Κυρήνης ἐκ Φθίας. Vidimus supra Xuthum, Jonis patrem, ex Phthiotide oriundum esse: Xuthus inde profectus in tetrapoli Marathonia consedisse et Atheniensium regem Erechtheum contra Boeotios adiuvisse dicitur. In universum de Hellene, Xuthi patre, eiusque filiis apud Thucydidem (I 3, 2) haec legimus: Ἕλληνος δὲ καὶ τῶν παίδων αὐτοῦ ἐν τῇ Φθιώτιδι ἰσχυσάντων, καὶ ἐπαγομένων αὐτοὺς ἐπ' ὠφελίᾳ ἐς τὰς ἄλλας πόλεις etc. Quibuscum si scholium illud comparamus, res illae mirum quantum consentiunt. Aristaeus hic Apollinis filius fuisse dicitur, similiter atque Jon, qua de re uberius disputavi; matrem eius Cyrenen Lapitham fuisse constat, Lapithae autem etiam Thessaliam incoluerunt; Aristaeus similiter ex Phthiotide arcessitus esse narratur — haec omnia si reputamus, in mytho illo antiquissimarum Jonum coloniarum memoria servata esse videtur.

Atheniensium igitur Arcadumque coloniae prorsus tollendae sunt. Non idem valet de Naupactiis, de quibus Heraclides l. l. haec narrat: Κέως δ' ἐκ Ναυπάκτου διαβὰς ᾤκισε, καὶ ἀπ' αὐτοῦ ταύτην ὠνόμασεν. Sane Κέως ille [1]), qui colo-

---

1) De Ceo, Cei insulae eponymo, nuperrime strictim egerunt Maass, Goett. gel. Anz. 1890 I p. 354 not. 3 et Kirchner, Att. et Pelop. p. 66 not. 3. Legimus enim in Troum catalogo B v. 846 sq. haec:

Εὔφημος δ' ἀρχὸς Κικόνων ἦεν αἰχμητάων,
υἱὸς Τροιζήνοιο διοτρεφέος Κεάδαο.

Mitto mythologicas quaestiones cum et alienae sint a re proposita et longum sit eas hic pertractare. Equidem hoc unum monuerim, Troezena hic appellari Cei filium. Supra pluribus docui, in Argolide (et quidem imprimis Troezene) Jonum fuisse colonias, cf. impr. ea, quae de his rebus optime exposuit Toepffer l. l. Quam multae exstarent fabulae Atticis cum Peloponnesiis communes Kirchner l. l. docuit iureque (ut supra vidimus) conclusit, utrosque peregre eas accepisse. At vero etiam Ceis cum Atticis Troezeniisque nonnullas fuisse necessitudines verbi causa Pitthei cum Attici tum Troezenii herois exemplum docet, cuius memoriam etiam in insula Ceo floruisse comperimus ex tit. Ceo n. 35 (cf. Bechtel n. 44, Kirchner l. l.) Ergo non est quod miremur, Troezena hic Cei filium appellari, cum Ceus insula, quippe Jonum colonia, artissime haud dubie cum Attica Argolideque coniuncta fuerit. Quae si recte coniecimus, etiam in hac re Jonum vestigia

niam condidisse insulaeque nomen suum imposuisse dicitur, e medio tollendus est: sed de Naupactiis ipsis dubitare non possumus. Probant enim hoc quattuor tituli in insula Ceo reperti [1]): ex titulis illis, de quibus infra uberius erit dicendum, colligere possumus, etiam posterioribus temporibus (sc. ultimis III a. Chr. saeculi decenniis) Ceis cum Locris amicitiam intercessisse. Docent hoc praeterea nonnulli Ceorum mores, quos C. O. Mueller l. l. falso ex Creta petitos esse dixit. De moribus illis Locrorum simillimis cum Boeckh uberius egerit [2]), non necessarium esse existimo, haec omnia hic pluribus verbis repetere: quae enim Heraclides aliique multi de Ceorum morum integritate tradiderunt (mulieres fuisse decentes; pueros puellasque a vino se abstinuisse; viros aliorum mortem non complorasse etc.) haec Boeckh iure cum Locrorum (et Opuntiorum et Epizephyriorum) moribus comparavit.

Haec habui de priscis insulae Cei incolis quae dicerem. Vidimus Cares Phoenicesque primos insulam incoluisse, de Cretibus autem rem satis esse incertam. Vidimus porro Cares Phoenicesque deinde a Graecis expulsos esse et quidem sine dubio ab Jonibus. Arcadum Atheniensiumque colonias nunquam in insula Ceo exstitisse contendo. Contra Naupactiorum colonias certissimis confirmari documentis supra vidimus. Sane Naupactios non ante Jones insulam incoluisse puto, coloniae enim eorum perbene eodem tempore conditae esse possunt. Postea autem Jonum auctoritate in insula magis magisque crescente, coloni illi Jonibus diu resistere non pote-

---

intellegenda sunt. Ceterum Maass l. l. haec adiecit: „wie kommt aber dieser Euphemos in aller Welt nach Ismaros? Sollte die Insel Keos mit Paros an der Besiedelung dieser thrakischen Gegend theilgenommen haben?“, sed coniectura illa potius silentio praetereunda est, cum nullam utilitatem historiae adferre possit.

1) n. 21—23 et n. 77. cf. Cap. II § 4.

2) Boeckh, kl. Schrift VII p. 345 sq., impr. p. 349 sq. Boeckh eodem loco etiam de alio vetere Ceorum more disputavit: narrant enim Heraclides l. l., Aelian, var. hist. III 37, Strabo X 486 et XI 517, Val. Max. II, 6, 8; Steph. Byz. s. v. Ἰουλίς, senes veneno sibi mortem conscivisse.

rant: demigraverunt illi quidem, sed memoria eorum in omne tempus viguit, id quod supra uberius demonstravi.

Jam vero ad finem antiquissimorum temporum pervenimus. Reliquum enim est, ut paucis moneam, Ceum insulam aliquamdiu etiam Eretriensibus paruisse, id quod sequitur ex Strabone X 448: „ἐπῆρχον δὲ (sc. Eretrienses) καὶ Ἀνδρίων καὶ Τηνίων καὶ Κ ε ί ω ν καὶ ἄλλων νήσων." Broendsted (p. 68 sq.) demonstrare conatus est, id necessario ante annum 490 factum esse, cum Eretria eo anno a Persis devastata atque combusta esset. Sed haec nugae sunt, nam de illis temporibus ne cogitari quidem potest: iure enim Heinze atque nuperrime Busolt et Holm hoc VII a. Chr. s. factum esse docuerunt [1]), cum Graeci ubique colonias suas conderent. Quamdiu Cei Eretriensibus paruerint non constat. Dominationis Eretriensis fortasse exstat vestigium, si quidem titulus Coresiorum (n. 65) re vera est ἐγχώριος [2]): „L'alfabeto", inquit Halbherr, „si stacca da quello di tutte le epigrafi arcaiche di Keos per collegarsi con quelli di Calcide ed Eretria e cogli alfabeti non ionici. Se l'epigrafe è veramente ἐγχώριος e non ha origine straniera, ravvisiamo in essa una traccia dell' antica dominazione eretriese sull' isola."

De reliquis insulae fatis usque ad bella Persarum nihil habemus compertum. Ceterum Cei insulae urbes temporibus illis quam maxime floruisse colligere possumus ex magno argenteorum nummorum numero: unaquaeque urbs suos signabat nummos. Sed de Ceorum nummis infra [3]) uberius erit dicendum.

---

1) cf. Heinze, De rebus Eretriensium, Gottingae 1869, p. 23; Busolt, Gr. Gesch. I p. 313; Holm, Gesch. Gr. I p. 335.

2) cf. Kirchhoff, Stud. z. Gesch. d. gr. Alph. 1887⁴ p. 91, not. 1, qui similiter de titulo illo iudicavit: „als der Schrift nach nicht epichorisch ist jedenfalls mit Hrn. Halbherr die von ihm mitgetheilte Inschrift von Koresia zu betrachten, wenn das erste der beiden Worte mit ihm Ἠχώ zu lesen ist."

3) cf. Cap. III § 5 init.

2. Cei insulae res saec. V a. Chr. n.

Prima expeditione, quam Persae Mardonio duce adversus Graecos susceperant, calamitose ad irritum redacta, Dareus consiliariique eius intellexerunt multo esse commodius classe Graeciam petere. Priusquam autem secundam illam expeditionem suscepit, Dareus legatos in Graeciam insulasque misit, qui terram et aquam poscerent. „Τοῖσι ἥκουσι ἐς τὴν Ἑλλάδα κήρυξι, inquit Herodotus (VI 49), πολλοὶ μὲν ἠπειρωτέων ἔδοσαν τὰ προΐσχετο αἰτέων ὁ Πέρσης, πάντες δὲ νησιῶται ἐς τοὺς ἀπικοίατο αἰτήσοντες. οἵ τε δὴ ἄλλοι νησιῶται διδοῦσι γῆν τε καὶ ὕδωρ Δαρείῳ καὶ δὴ καὶ Αἰγινῆται.“ Etsi Herodotus de universis insulis hoc contendit, verba illa cum rebus ipsis congruere non videntur: apparet enim ex Her. VI 96 Naxum insulam id non fecisse. Sed Persas aliquot insulas non obiisse colligere possumus ex ipsis Herodoti verbis ,,ἐς τοὺς ἀπικοίατο αἰτήσοντες'', nam parvas insulas ab iis neglectas esse ex se intellegitur; quod sane dici non potest de Naxiis, qui sine dubio Persarum imperium recusaverunt. Itaque cum Herodoti verbis fidem magnam tribuere non possimus, quaeritur, de Ceis quid sit statuendum. Sed priusquam de hac re dicam, necesse est Datidis expeditionem ipsam breviter perstringam.

Vere anni 490 Persarum classis Datide Artaphreneque ducibus ex Cilicia exiit. Cursum primum secundum Asiae oram Samum direxerunt. Samo deinde Naxum profecti insulam illam, cuius incolae in montes profugerant, vastaverunt. Deinde Datis, dum classis in insula Rhenea consistit, Delum se contulit ibique in Apollinis honorem trecenta turis talenta combussit. Δᾶτις μὲν δὴ ταῦτα ποιήσας, inquit Herodotus, ἔπλεε ἅμα τῷ στρατῷ ἐπὶ τὴν Ἐρετρίαν πρῶτα; urbem illam septimo die ceperunt et devastaverunt. Χειρωσάμενοι δὲ τὴν Ἐρετρίαν καὶ ἐπισχόντες ὀλίγας ἡμέρας ἔπλεον ἐς τὴν Ἀττικήν. Hunc fere in modum Herodotus (VI 94—102) res illas narrat. Atqui satis multa sunt, quae maxime suspicionem nostram movent. At classis quidem, ut a temporum computatione incipiam, vere profecta esse dicitur, pugna Marathonia

autem adfecta iam prope aestate commissa esse videtur. Navigatio ex Cilicia Samum, devastatio Naxi insulae, quae ab incolis deserta erat, Datidis accessus ad Delum, Eretriae occupatio, quam septimo die factam esse Herodotus testatur — non tantum temporis spatium requirebant. Apparet igitur, id quod ex se intellegitur, Persas etiam alias Cycladas obiisse. Herodotus ipse hoc probat: nam post Naxi devastationem VI 96 scribit „ταῦτα δὲ ποιήσαντες ἐπὶ τὰς ἄλλας νήσους ἀνάγοντο", praecipue autem VI 99, etsi ipse supra dixit, Persas ex Delo statim Eretriam profectos esse, nihilominus adicit: „οἱ δὲ βάρβαροι ὡς ἀπῆειραν ἐκ τῆς Δήλου, προσῖσχον πρὸς τὰς νήσους, ἐνθεῦτεν δὲ στρατιήν τε παρελάμβανον καὶ ὁμήρους τῶν νησιωτέων παῖδας ἐλάμβανον. ὡς δὲ περιπλέοντες τὰς νήσους προσέσχον καὶ ἐς Κάρυστον etc." Res illae sane repugnant Herodoti narrationi, quam supra attuli, sed haec diversitas facile explicari potest. Naxum illam Herodotus attulit, quia Naxii Persis non obsecuti erant ideoque Persae insulam vastaverant; Deli autem Herodotum satis longe commoratum esse a Deliisque fabulas illas accepisse, Schoeffer iure docuit[1]). De reliquis Cycladibus nihil certi habebat compertum, ergo eas fere neglexit. Inter ceteras autem Cycladas Persae quin Ceum insulam obierint dubitari non potest: ex Delo enim insula Eretriam profecti Ceum praeterirent necesse erat. Sane insula devastata non est, nam Cei sine dubio Persis, similiter atque plurimae Cyclades, terram et aquam dederant: quod colligere possumus ex eo, quod neque Herodoto quidquam erat cognitum, neque ulla calamitatis memoria in insula Ceo permansit. Reliqua secundae illius expeditionis fata nihil ad insulam Ceum pertinent.

Post pugnam Marathoniam Miltiadem cum 70 navibus Parum insulam oppugnasse constat[2]). Ephorus autem Miltiadem iam antea insulas obiisse docet[3]). De re ipsa dubi-

1) Schoeffer, De Deli ins. reb. p. 24 sq.

2) cf. Her. VI 132 sq.

3) cf. Steph. Byz. s. v. *Πάρος· „ὁ δὲ Μιλτιάδης τῶν μὲν ἄλλων νήσων τινὰς ἀποβάσεις ποιησάμενος ἐπόρθησε, Πάρον δὲ* etc. Nepos, Milt. 7 etiam Ephorum est secutus, sed rem in maius extulit.

tare non possumus, fueritne autem Miltiades etiam in insula Ceo, satis est incertum.

Tertiam expeditionem Persae decem demum annis post susceperunt. Xerxes, patris exemplum secutus, similiter legatos in Graeciam misit [1]), qui eadem poscerent. Herodotus l. l. tantum de Graecia ipsa loquitur; de insulis nihil docet. Atqui exstat locus, ex quo nonnulla quidem colligere possumus. Inter eos enim, quos Herodotus pugnae Salaminiae interfuisse dicit, enumerat etiam Seriphios, Siphnios, Melios cf. VIII 46: „καὶ Σερίφιοί τε καὶ Σίφνιοι καὶ Μήλιοι ἐστρατεύοντο· οὗτοι γὰρ οὐκ ἔδοσαν μοῦνοι νησιωτέων τῷ βαρβάρῳ γῆν τε καὶ ὕδωρ." Sed insularum numerus non est iustus, nam praeter tres illas insulas Cythnios et Ceos idem fecisse constat. Quinque enim insulae illae foederatis civitatibus se applicasse videntur [2]). Sed Cei non solum Salaminiae pugnae interfuerunt: Herodotus eos etiam quattuor naves ad Artemisium misisse narrat (VIII 1) Κήιοι δύο τε νέας καὶ πεντηκοντέρους δύο." Quo urbium et navium consensu permotus Broendsted [3]) coniecit, unamquamque urbem navem misisse. Sed hanc coniecturam equidem falsam esse existimo: Cei enim, mea quidem sententia temporibus illis sympolitia coniuncti erant atque communiter naves illas miserunt [4]). De pugna apud Artemisium facta praeterea nihil habemus compertum.

Neque plura scimus de Salaminia pugna: Herodotus enim (VIII 46) simpliciter Ceos pugnae illi cum iisdem navibus interfuisse dicit. Attamen propter libri VIII cap. 76 pugnam illam paulo accuratius examinemus necesse est. De pugna illa viri docti maxime dissentiunt. Sed cum hic locus non sit singulas sententias adferre, ipse quomodo pugnam factam esse existimem, paucis demonstrabo [5]). Atque Persarum

1) Her. VII 32 et 131.

2) De foedere illo cf. Her. VII 132 sq.

3) Broendsted, I p. 72 not. 8.

4) De priore sympolitia atque de Broendstedii illa coniectura infra non interrupte agam, cf. Cap. III § 2.

5) cf. impr. Loeschcke, Jhb. f. Phil. 115 (1877) p. 25 sq.; Jernstaedt, Журн. минист. нар. просв. томъ 220 (1882) p. 105 sq.; Lolling,

quidem classis ante pugnam in Phalero stabat, Graeci autem naves suas in septemtrionali sinu Salaminio constituerunt. Persae putabant Graecos certum cepisse consilium apud Salamina de summa rerum decernere. Neglecto Artemisiae consilio Xerxes decrevit rem in aciem committere: ideoque dato signo Persae ἀνῆγον τὰς νέας ἐπὶ τὴν Σαλαμῖνα καὶ παρεκρίθησαν διαταχθέντες κατ' ἡσυχίην. τότε μέν νυν οὐκ ἐξέχρησέ σφι ἡ ἡμέρη ναυμαχίην ποιήσασθαι · νὺξ γὰρ ἐπεγένετο · οἱ δὲ παρεσκευάζοντο ἐς τὴν ὑστεραίην (Her. VIII 70). Sed Graecorum consilium Persas fefellit. In Graecorum enim castris maxima erat dissensio atque praeter Athenienses, Aeginetas Megarensesque ceteri Graeci consilium ceperunt in Peloponnesum profugere, quod absurdissimum fuit inceptum. Themistoclis prudentia consilium illud irritum factum est. Misit enim clam ad Xerxem servum, qui regem de hac re certiorem faceret. Ὁ μὲν ταῦτά σφι σημήνας, inquit Herodotus (VIII 76), ἐκποδὼν ἀπαλλάσσετο · τοῖσι δὲ ὡς πιστὰ ἐγίνετο τὰ ἀγγελθέντα, τοῦτο μὲν ἐς τὴν νησῖδα τὴν [Ψυτταλείαν] μεταξὺ Σαλαμῖνός τε κειμένην καὶ τῆς ἠπείρου πολλοὺς τῶν Περσέων ἀπεβίβασαν· τοῦτο δέ, ἐπειδὴ ἐγίνοντο μέσαι νύκτες, ἀνῆγον μὲν τὸ ἀπ' ἑσπέρης κέρας κυκλούμενοι πρὸς τὴν Σαλαμῖνα, ἀνῆγον δὲ οἱ ἀμφὶ τὴν Κέον τε καὶ τὴν Κυνόσουραν τεταγμένοι, κατεῖχόν τε μέχρι Μουνυχίης πάντα τὸν πορθμὸν τῇσι νηυσί. Sic Herodotus rem illam narrat. Quod ut recte intellegamus, necesse est praeter alios scriptores imprimis Aeschylum adhibeamus (Pers. v. 355 sq.), qui ipse pugnae interfuit: Herodotus enim manifesto Aeschylum et oraculum quoddam secutus est, de quo mox infra videbimus. His fundamentis nisi pugna illa quomodo facta sit perspicere possumus. Persae enim cum primum audierunt Graecos media nocte fugae se daturos, fugientibus omnia effugia auferre constituerunt. Quod ut effi-

---

Hist. u. philol. Aufs. f. E. Curtius (1882) p. 1 sq.; Goodwin, Papers of the americ. school at Athens I (1885) p. 239 sq.; Toepffer, Quaest. Pisistr. 1886, p. 15 sq.; Bauer, Burs. Jhb. 60 (1889) p. 118 sq. Cf. praeterea quae Thirlwall, Grote, Curtius, Duncker, Busolt, Holm in historiis suis docuerunt.

cerent, sinistrum cornu (τὸ ἀπ' ἑσπέρης κέρας)[1]) Salaminis partem meridionalem usque ad fretum Megarense complexi sunt. In fretum illud ipsum Persae non sunt ingressi: hoc vel ex eo colligere possumus, quod postea Graecos a tergo non sunt adorti. Reliquae Persarum naves Psyttaliam occupaverunt atque meridionalem freti Salaminii exitum a Cynosuris usque ad Munychiam intercluserunt. Psyttaliam insulam Persae occupaverunt, cum ibi pugnatum iri putarent. Cynosurae nisi Salaminis promunturium esse non possunt. Jam vero quaeritur de verbis, „τὴν Κέον" quid sit statuendum. De insula Ceo ne cogitari quidem posse Leake optime docuit eumque iure omnes secuti sunt[2]). Quomodo autem verba illa explicanda sint, de hac re viri docti valde inter se dissentiunt: alii enim locum illum in Attica situm fuisse putant, alii in insula Salamine (et quidem alii et Κέον et Κυνόσουραν eiusdem promunturii duo nomina esse statuunt, alii diversa promunturia), alii rem in medio relinquunt. Lolling „Κέον" in „Λέρον" mutavit, quo nomine parvam insulam septemtrionali freti Salaminii introitui adiacentem significaret. Toepffer Lollingium secutus est, sed coniectura illa probanda non est: Persae enim eo loco omnino non fuerunt. Neque aliorum sententiae difficultatem illam tollere possunt. Nihilominus equidem rem satis perspicuam esse existimo[3]). Herodoti enim verba cum oraculo illo comparanda sunt, quod paulo infra attulit (c. 77):

Ἀλλ' ὅταν Ἀρτέμιδος χρυσαόρου ἱερὸν ἀκτὴν
νηυσὶ γεφυρώσωσι καὶ εἰναλίην Κυνόσουραν, κτλ.

---

1) Laevum cornu ab Herodoto iure „τὸ ἀπ' ἑσπέρης κέρας" appellatur, nam Persarum naves Phalerum iam reliquerant atque ita constiterant, ut frons ad septemtriones vergeret.

2) cf. Leake, Die Demen von Attika, p. 199 sq. (Westermann). Praeterea accusativus insulae „Κέως" nisi τὴν Κέω neque scribi potest neque usquam scriptus legitur.

3) Haec iam pridem scripta erant, cum animadverti C. Muellerum F. H. G. V p. 2 sq. similiter de hac re iudicasse. Mirum in modum sententia illa omnes viros doctos (excepto Jernstaedtio p. 117) fugisse videtur.

Supra dixi Herodotum narrationem suam ad oraculum illud conformasse; Cynosuras manifesto ex oraculo sumpsit, sed etiam de reliquis hoc probare possumus. Verbis enim „Ἀρτέμιδος ἀκτή“ dilucide significatur ea orae Atticae pars, quae inter portus Ζέαν et Munychiam sita erat[1]). Itaque apud Herodotum aut „τὴν Ζέαν“ scribendum est, quod postea (cum insula Κέως hodie Ζέα vocetur), nescio a quo in τὴν Κέον est immutatum — aut verba „τὴν Κέον“ recte tradita sunt atque promunturium illud inter Zeam et Munychiam significant.

Graeci ab Aristide et Tenia nave certiores facti pugnare decreverunt, atque prima luce septemtrionalem sinum Salaminium reliquerunt. Persae autem in fretum Salaminium invehi coeperunt. Quod Graeci cum animadvertissent, primum paulum recesserunt, mox autem cum Persis concurrerunt atque pulcherrimam illam victoriam reportaverunt. De pugna ipsa non est quod pluribus dicam. Hoc unum monuerim, falsissime Grotium maximamque virorum doctorum partem coniecisse, Persas nocte totum fretum Salaminium occupasse. Minime enim haec coniectura probanda est: nam 1) propter freti angustias Persae Graecos furtim neque praetervehi neque circumsistere poterant, 2) propter freti ignorantiam Persas non puto nocte in fretum invectos esse, 3) Graeci si animadvertissent Persas fretum ingredientes, certe per sinum Eleusinium fugissent; Themistoclis consilium ergo irritum esset factum, 4) Themistocles non ea erat stupiditate, ut Persas totum fretum occupare sineret: Graeci enim sic minime se commovere potuissent, 5) Persae in fretum si essent ingressi, Themistocles certe — ne dicam Graeci — id animadvertisset. Constat au-

---

12) De portu Ζέα cf. impr. Ulrichs, Reisen u. Forsch. II Berl. 1863 p. 171 sq. cf. Hesych. s. v. Ζέα, ἡ Ἑκάτη παρὰ Ἀθηναίοις, καὶ εἷς τῶν ἐν Πειραιεῖ λιμένων. „Vielleicht stand an diesem Hafen“, inquit Ulrichs, „ein Heiligthum der Zea Artemis, wie über dem Hafen Munychia das Heiligthum der Munychia Artemis.“ Utrum duo ibi fuerint templa Ἀρτέμιδος, an unum quod et Mnnychiae et Zeae Ἀρτέμιδος sit dictum, diiudicare non possumus: equidem unum templum ibi fuisse dixerim.

tem Themistoclem ab Aristide accepisse, Salamina a Persis cinctam esse: Aristides autem ex Aegina venit neque de freto Salaminio quidquam habebat compertum, 6) minime traditum est, Persas in Graecorum latera vel terga invasisse: ergo Persae Graecos in freto non cinxerant[1]), 7) Aeschyli verba (v. 398 sq.) θοῶς δὲ πάντες ἦσαν ἐκφανεῖς ἰδεῖν, atque τὸ δεξιὸν μὲν πρῶτον εὐτάκτως κέρας ἡγεῖτο κόσμῳ, δεύτερον δ' ὁ πᾶς στόλος ἐπεξεχώρει etc. explicari non possunt, si Grotii sententiam probamus, 8) Themistocles optime perspexerat, Graecos victoriam consequi non posse nisi in ipso freti introitu: propter freti enim angustias Persae copias suas explicare non poterant, 9) verba Aeschyli (v. 413 sq.) ὡς δὲ πλῆθος ἐν στενῷ νεῶν ἤθροιστ', etc. et Diodori (XI 18, 4) οἱ δὲ Πέρσαι τὸ μὲν πρῶτον πλέοντες διετήρουν τὴν τάξιν, ἔχοντες πολλὴν εὐρυχωρίαν· ὡς δ' εἰς τὸ στενὸν ἦλθον, ἠναγκάζοντο τῶν νεῶν τινας ἀπὸ τῆς τάξεως ἀποσπᾶν, καὶ πολὺν ἐποίουν θόρυβον, dilucide docent, Persas ante pugnam in fretum non esse ingressos. Sed nolo documenta illa cumulare: ex iis enim, quae attuli, luce clarius apparet, Grotii sententiam falsissimam esse.

Sententia Broendstedii[2]), qui Ceos etiam Plataeensi pugna interfuisse perhibet, ne digna quidem est, quam refellam.

Bellis Persarum denique confectis Cei non solum tripodi illi Delphico[3]) inscripti sunt, sed etiam basi statuae Jovis, quam Graeci Olympiae dedicaverunt.[4])

De V. a. Chr. n. saeculo haud ita multum reliquum est, quod narrem. Ceos societati Deliaco-Atticae statim se applicasse non est quod moneam. Societatis illius res institutaque cum sint notissima neque hic locus sit ea pluribus retractare,

---

1) Ea ipsa de causa etiam Lollingii coniectura probari non potest.

2) cf. Broendsted l. l. p. 74 et 106 sq.

3) Titulum illum denuo accuratissime exscripsit atque edidit Fabricius, Jahrb. d. arch. Inst. I (1886) p. 176 sq. cf. n. 135.

4) cf. Her. IX 81; Paus. V 23.

duas tantum res paulo diligentius inspiciamus, tributa dico et militandi necessitatem.

Atque tributa ex parvo titulorum numero mediocriter definiri possunt[1]). Koehler[2]) de tributis haec adnotavit: „In der ersten Periode haben die Koresier wie es scheint besonders gezahlt, s. unter Κορήσιοι [IV Jahr 225 dr][3]); in der zweiten, dritten, vierten und fünften Periode zahlen die Keier zs. 4 Tal.; Ol. 88,4 sind sie auf 10 Tal. gebracht worden." Mihi ea quae Koehler de Coresiis adnotavit non recte se habere videntur. Dixi enim supra Ceos mea quidem sententia temporibus illis sympolitia coniunctos fuisse. Sed fac etiam hac in re me errasse, nihilominus nonnullae restant causae, quae Koehlero assentiri me prohibeant. Inde a quinto enim anno semper universi Cei una contulerunt et quidem 4 tal. Si bellis Persarum, ut supra vidimus, universi Cei adfuerunt, si tripodi illi Delphico basique Olympicae Κεῖοι inscripti sunt, si praeterea ab anno 450 (a quo anno incipiunt certae de Ceorum tributis rationes) semper Κεῖοι perscribuntur, persuadere mihi non possum, Cei insulae urbes per quattuor primos annos separatim tributa tulisse; nam pro certo habeo, si Coresii separatim pendebant, etiam ceteras tres urbes separatim pependisse. Quod si sumimus Ceorum tributum annis Ol. 82,3 antiquioribus c. 9 tal. fuerit necesse est, nam Carthaeam et Julida saltem idem pependisse atque Coresios manifestum est. Sane tributa a. 450 imminuta esse constat; nihilominus mirum est Coresios solos plus quam dimidium eius summae pependisse, quam inde ab a. 450 Cei pendebant. Insuper exstat fragmentum, quod Koehler (dubitanter quidem) propter litterarum formas eidem a. 451 tribuit: quamquam annus certe definiri non potest, tamen antiquioribus temporibus fragmentum illud haud dubie tribuendum est. In fragmento illo etiam simpliciter Κεῖοι perscripti sunt. Boeckh[4]) Coresiorum illas

1) cf. n. 113–122.
2) Koehler, Urk. u. Unt. z. Gesch. d. del.-att. Bund. p. 199.
3) cf. n. 113 = C. J. A. I n. 229.
4) Staatsh. d. Athen. II[3] p. 408.

225 dr. multam fuisse censuit — iurene, diiudicare non audeo. Sed quoquomodo res se habet, hoc persuasum habeo Ceos etiam ante Ol. 82,3 semper una tributa contulisse. Priusquam autem tributorum tabulam conficiam, restat ut moneam nuperrime a Lollingio novum repertum esse fragmentum, quod ille (assentiente Kirchhoffio) iure a. 425 recentius esse dicit (n. 122). Anno enim 425 (Ol. 88,4) tributa plus quam duplicata sunt (n. 121), Ceique, qui semper 4 tal. pendebant, a. 425 10 tal. persolverunt: in novo autem fragmento cum 6 tal. perscripta sint, titulus sane a. 425 recentior sit necesse est. Lolling quidem aetatem paulo diligentius definire conatus est, atque fragmentum anno 413 antiquius esse negat; sed cum tanta subtilitate fragmenti aetas — hodie quidem — circumscribi non potest. Jam vero haud alienum videtur esse tributorum tabulam hic apponere.

1) Ol. 81,3—82,2 (454—451) Κεῖοι — (Κορήσιοι 2 tal. 1500 dr. ?)

2) Ol. 82,3—88,3 (450—426) Κεῖοι 4 tal.

3) Ol. 88,4 (425) Κεῖοι 10 tal.

4) post Ol. 88,4 Κεῖοι 6 tal.

Restat ut pauca de militandi necessitate dicam. Thuc. II 9,5 de hac re haec docuit: τούτων ναυτικὸν παρείχοντο Χῖοι, Λέσβιοι, Κερκυραῖοι, οἱ δ' ἄλλοι πεζὸν καὶ χρήματα. Ex hoc loco aliisque nonnullis Wilamovitz et Busolt[1]) iure collegerunt Athenienses sociis etiam militandi necessitatem imposuisse. Sed erravit Wilamovitz, cum hoc „wahrscheinlich im Falle der Bedrohung des Kreises“ tantum factum esse dixit. Rem primus recte perspexit Busolt l. l. Docuit enim omnes socios primo naves tantum misisse, deinde autem, cum sub Atheniensium imperium dicionemque cecidissent, coactos fuisse non solum tributa pendere, sed etiam pedestres mittere copias. De insula Ceo hoc duobus ex documentis colligere possumus. In Attico enim titulo sepulcrali (n. 112) enume-

---

1) cf. Wilamovitz, Philol. Unt. I 1880 p. 71 sq.; Busolt, Rh. Mus. 37, 1882 p. 637 sq. et Gr. Gesch. II p. 351 et 427.

ratur Δηλόδοτος quidam Κεῖος[1]; titulum Kirchhoff c. Ol. 80 exaratum esse dixit. Droysen[2]) Delodotum illum inquilinum fuisse putat: „Der Keer Diodotos (sc. Delodotos) auf der Todtenliste C. J. A. I 434 war wahrscheinlich ein Metök, der als Hoplit gefallen war, (vgl. v. Wilamovitz, Hermes 22,215 ff.)," sed Droysen haud dubie Wilamovitzium non recte intellexit, nam W. dilucide et quidem suo iure scripsit: „an diesem Zuge nehmen auch die ξένοι παρεπιδημοῦντες Theil, d. h. die anwesenden Bündner. Die meisten werden als ψιλοί mitgezogen sein. Wer Hoplit war, trat in die Reihen. Stehen doch in den Verlustlisten ein Keer Delodotus 434,13 etc." Alterum documentum exstat apud Thucydidem (VII 57), qui Ceos expeditioni Siciliensi interfuisse narrat; itaque Ceos non naves, sed pedestres misisse copias, ex iis, quae modo exposui, efficitur.

Atheniensium imperio denique a. 404 a Lysandro funditus everso, Cei in Lacedaemoniorum imperium dicionemque redacti sunt, sed de hac re nihil fere habemus compertum. Commemoravit enim eam solus Demosthenes (XVIII 96): „Λακεδαιμονίων γῆς καί θαλάττης ἀρχόντων, καὶ τὰ κύκλῳ τῆς Ἀττικῆς κατεχόντων ἁρμοσταῖς καὶ φρουραῖς, Εὔβοιαν.... Κέω, τὰς ἄλλας νήσους."

---

3. Cei insulae res saec. IV a. Chr. n. usque ad pugnam Chaeronensem.

Lacedaemoniorum imperii maritimi principatus non ultra decennium valuit. Anno enim 394 per pugnam apud Cnidum commissam imperium illud funditus eversum Atheniensiumque imperium a Conone et post eum a Thrasybulo restitutum est. Καὶ Λακεδαιμόνιοι μὲν ἀπὸ τούτου τοῦ χρόνου τὴν κατὰ θάλατταν ἀρχὴν ἀπέβαλον, inquit Diodorus (XIV 84,4),

---

1) Rangabé v. 19 etiam legit *Λυσιάδης Κεῖος*, sed verbi *Κεῖος* nulla exstant vestigia.

2) cf. Droysen, Gr. Kriegsalt. p. 61 not. 3.

οἱ δὲ περὶ τὸν Κόνωνα σὺν παντὶ τῷ στόλῳ κρίναντες πλεῖν ἐπὶ τὴν Ἀττικὴν ἀνέζευξαν (sc. vere a. 393) καὶ τὰς Κυκλάδας νήσους προσαγαγόμενοι κατέπλευσαν ἐπὶ Κύθηρα τὴν νῆσον. Lacedaemoniorum praefectis praesidiisque eiectis quaeque ab iis constituta erat oligarchia deleta, populares denuo reipublicae praeesse coeperunt. Cei — nam quod in universum de sociis traditum est, id etiam ad Ceum referre non dubito — in pristinum statum redierunt: ceterum pro tributis a Thrasybulo ἡ εἰκοστὴ redintegrata est [1]). Sed nihil earum rerum proprie de Ceo memoriae est traditum, neque ex aliarum civitatum exemplis singula restituere conari attinet.

Sed etiam Atheniensium illud imperium non diu viguit. Lacedaemonii enim Cononem apud Tiribazum accusaverunt, ὅτι — τάς τε νήσους καὶ τὰς ἐν τῇ ἠπείρῳ παρὰ θάλατταν πόλεις Ἀθηναίοις εὐτρεπίζοι [2]), Persasque ab Atheniensibus distraxerunt. Ideoque Persae a. 386 eo libentius pacem illam sanxerunt, quam regiam sive Antalcidae dicere consuevimus. Athenienses (si Lemnum, Scyrum, Imbrum exceperis) omnes socios amiserunt et uniuscuiusque civitatis αὐτονομία constituta est.

Qua condicione Cei insequentibus annis usi essent, adhuc prorsus ignotum erat. Mihi quidem persuasum est Cei insulae urbes post pacem illam priorem quam dixi sympolitiam dissolvisse. Quod ut demonstrem, necesse est ad alteram societatem maritimam accedamus.

Quomodo Thebae a Lacedaemoniorum dominatione liberatae sint, quomodo ex eo bellum Boeotium exarserit, quomodo a. 378 altera societas maritima facta sit, quique primi ad societatem illam accesserint, notissimum est. At vero Lacedaemonii, cum crebris incursionibus nihil profecissent, Athe-

---

1) De hac Atheniensium imperii restitutione cf. imprimis Swoboda, Mitth. d. d. arch. Inst. VII (1882) p. 174 sq., impr. p. 190; Koehler, ibid. p. 313 sq; Beloch, Att. Polit. p. 344 sq.; Stern, Gesch. d. spart. u. theb. Hegem. p. 1 sq.

2) cf. Xen. Hell. IV 8, 12.

nienses mari petere decreverunt [1]), expeditioque illa propterea etiam ad Ceum pertinet, quod Xenophon Lacedaemoniorum classem Polli duce Athenienses re frumentaria intercludere conatam ideoque circa Aeginam, Ceum, Andrum vagatam esse narrat [2]). Sed expeditio illa Lacedaemoniis male evenit. Chabrias enim apud Naxum classem eorum devicit, Atheniensesque maris Aegei principatum recuperaverunt.

Jam vero quaeritur, Cei insulae urbes quando societati illi se applicaverint. Ex decreto enim notissimo Nausinico archonte exarato (n. 126), colligere possumus, Poiessios primos se applicasse et quidem haud dubie a. 376 [3]). Ceterae urbes a. 375 ad societatem illam accesserunt [4]). Schaefer [5]) quidem urbes illas a. 373 a Timotheo adscitas esse coniecit, eumque Curtius secutus est. Koehler et Stern [6]) rem in medio reliquerunt: sed Koehler a. 375 praefert, Stern autem urbes illas certe ante a. 373 se applicasse dicit, sed a. 375 hoc factum esse negat. Busolt [7]) recte urbes illas a. 375 a Chabria adscitos esse suspicatus est, id quod Fabricius l. l. certissimis indiciis nisus nunc probavit.

Ex iis, quae modo attuli, indiciis cognoscimus Cei insulae urbes separatim ad alteram illam societatem maritimam se applicasse, atque mox videbimus, singulas urbes separatim variis de rebus cum Atheniensibus pepigisse. Ergo temporibus illis prior sympolitia soluta fuerit necesse est. Haec argumentatio per se satis certa, nunc forte fortuna ne tenuissimam quidem habet dubitationem. Koehler enim nuperrime in litteris ad me datis summa liberalitate mecum communicavit tituli n. 129 apographon, quod infra (app. epigr.) exscripsi. Huc pertinent imprimis verba καί πολιτεύε-

1) cf. Xen. Hell. V 4, 60 sq.; Diod, XV 34, 3 sq.

2) Xen. l. l. τοῦ ναυτικοῦ ὄντος τοῦ Λακεδαιμονίων περί τε Αἴγιναν καὶ Κέω καὶ Ἄνδρον.

3) Fabricius, Rh. Mus. 1891 p. 595 sq.

4) Fabricius l. l. p. 591 not. 3 et 595 sq.

5) Schaefer, de sociis p. 15 sq. et Demosth. u. s. Zeit I^2 p. 58.

6) Koehler, Mitth. II p. 146; Stern l. l. p. 85 sq. et 107 sq.

7) Busolt, Jhb. f. Phil. Suppl. VII 1874 p. 761 sq.

σθαι [Κείου]ς κατὰ πόλεις κατὰ τοὺς ὅρκους καὶ τὰς συνθήκας etc. Ex verbis illis non solum dilucide efficitur singulas urbes sui iuris fuisse, sed eadem verba manifesto docent, eum rerum statum non semper fuisse: ergo optimum sunt documentum sententiae meae de priore sympolitia. Jam vero oritur quaestio, quando sympolitia illa soluta sit. Equidem supra dixi, mihi persuasissimum esse, id statim post regiam pacem evenisse. At vero huic sententiae Marmor Sandwicense obstare videtur. Continet enim tabula illa praeclara (n. 125), de qua infra uberius erit dicendum [1]), primo loco usuras pecuniarum, quae diversis civitatibus mutuae datae erant. Et in fronte et in aversa tabulae illius parte nominantur universi Cei (Κεῖοι), non singulae urbes: sed etiamsi tabula intra annos 377 et 373 composita est, nihilominus sententiam nostram refellere non potest, nam pecuniae illae iam pridem mutuae sumptae fuisse possunt.

Societatis instituta cum sint notissima non est quod hic retractem. Ceterum constat in altera societate maritima singularum urbium condiciones diversissimas fuisse. De Cei insulae urbibus non multum habemus compertum. De iurisdictione ex titulis quae colligere possimus, infra suo loco uberius videbimus [2]). Tributa συντάξεις appellabantur et quidem singulae urbes separatim pependisse videntur: in titulo enim Attico (n. 127), quem statim accuratius examinabimus, Julietae tria talenta non persolvisse dicuntur.

Sed ardor ille, quo initio socii incensi erant, mox evanuit deditque spatium curae et sollicitudini, quae in dies crescebant. Praeter multas enim res, quas socii indignabantur, maximam movit indignationem cleruchia illa, quam Athenienses Samum deduxerunt. Primae dominationis Atticae atrocitas omnibus imminere videbatur.

Is erat rerum status, cum vere a. 363 [3]) Epaminondas

1) cf. Cap. III § 5.

2) cf. Cap. III § 4.

3) Utrum expeditio illa vere a. 364 an 363 facta sit, non constat. Diodor. XV 78 sq. Timocrate archonte id factum esse dicit.

cum classe Thebana celebratissimam illam expeditionem suscepit, qua Atheniensium maris Aegei principatum evertere conatus est. De expeditione illa veteres scriptores nihil fere nobis tradiderunt [1]). Quantos vero expeditio illa sociorum rebus publicis attulerit motus colligere possumus ex titulo quodam praeclaro [2]), quem Koehler accuratissime edidit et, qua semper est sagacitate, omni ex parte explicavit atque illustravit. „Die thebanische Flotte", inquit Koehler, „wird den Curs um die Südspitze von Euböa genommen haben und hier, in der Nähe von Keos, auf das feindliche Geschwader gestossen sein." Thebanorum classe appropinquante in omnibus Cei insulae urbibus seditiones exarserunt; qui Atheniensium partes sequebantur expulsi, Julide Atheniensium proxenus ab Antipatro quodam interfectus est. Quibus rebus perfectis Cei in Thebanorum partes transierunt atque cum classe eorum naves suas coniunxerunt. Athenienses primo quieverunt. Mox autem Chabrias [3]), cum Thebani insulam reliquissent, cum Atheniensium sociorumque navibus Ceum missus est, ut res componeret.

Chabrias mandatum egregie exsecutus est. Ceis rursus in societatem adscitis, Chabrias et Cei redacti praeteritarum rerum veniam et oblivionem sanxerunt. Thebanae factionis principes, qui insulam iam ipsi reliquerant, capitis damnati sunt. Antipater, qui proxenum illum Atheniensium interfecerat, Athenis accusatus et morte multatus est. Exsules reversi possessiones amissas recuperaverunt. Praterea cum Ceis novum foedus durioribus quam antea condicionibus ictum est. De iurisdictione quid statutum sit, non est quod pluribus doceam,

---

Schaefer, Dem. I² p. 123 not. 2 annum 364 probare studet. Sed Grote, Rehdantz, Stern (cf. impr. Stern, l. l. p. 222 not. 2) iure annum 363 praetulerunt.

1) Diod. XV 78 sq.; Isocr. Phil. 53.

2) n. 127 cf. Koehler, Mitth. II p. 142 sq.; Schaefer, Dem. I p. 149 sq.; Ditt. Syll. n. 79; Stern, l. l. p. 223 not. 2; Curtius, Gr. Gesch. III⁶ p. 354 sq.

3) Chabriae nomen sane traditum non est, sed Koehler summa cum probabilitate hoc coniecit.

cum infra de hac re uberius dicendum sit [1]). Mea quidem sententia omnes causae supra centum drachmas aestimatae sine ullo discrimine Athenis vel Cei agi poterant; res autem Cei diiudicatae etiam ad Atheniensium iudicia deferri poterant. Koehler mira quadam sagacitate eo etiam alium titulum rettulit, pactum illud dico, quod singulae Cei insulae urbes cum Atheniensibus fecerunt de rubrica Cea nisi Athenas non exportanda [2]). Cum de titulo illo infra [3]) uberius dicam, neque ille res contineat ad historiam ipsam pertinentes, potius ad Ceorum rebellionem revertamur. Seditione sedata Carthaeenses in societate perstiterunt. De Coresia et Poiessa ex titulo nihil colligere possumus.

At vero Julide res, quas Chabrias composuerat, non ita multo post denuo turbatae sunt. Thebanae enim factionis exsules, cum Chabrias insulam reliquisset, Thebanorum auxilio freti reversi urbeque potiti sunt. Atheniensium fautores denuo partim necati partim absentes capitis damnati bonaque eorum publicata, foederis autem tabulae ex templo, in quo propositae erant, eiectae sunt [4]). Sed auxilii spes illos destituit. Athenienses vero cum primum res gestas audierunt, Aristophontem Julida miserunt, qui facile haud dubie alteram rebellionem

1) cf. Cap. III § 4.

2) n. 128 cf. Koehler, Mitth. II p. 150 sq., Schaefer, l. l. p. 150 not. 1; Boeckh, Staatsh. d. Athen. II³ p. 312 sq. De rubrica etiam in tit. n. 129 nescio quid constitutum fuisse Kumanudis assentiente Koehlero recte coniecit. Titulum illum paulo recentiorem esse Koehler adfirmat. cf. Mitth. II p. 154 not. 2.

3) cf. infra Cap. III § 4 et passim. Supersunt decreti Carthaeensium finis atque decreta Coresiorum et Julietarum. Ex eo, quod titulo legatorum Atheniensium nomina subscripta sunt, Koehler recte collegit, Atheniensium decretum in summo lapide perscriptum fuisse. Koehler, Boeckh, alii dubium esse dicunt, fueritne etiam Poiessiorum decretum. Mea quidem sententia de hac re dubitari non potest neque intellego, cur Poiessii excepti fuerint.

4) Koehler optime verbum ἐκβάλλειν explicavit: „Das Verbum ἐκβάλλειν, welches in Beziehung auf die Vertragssäulen gebraucht ist, lässt schliessen, dass diese in einem Heiligthum aufgestellt waren.“

sedavit[1]). Julietae deinde Athenas quinque legatos miserunt, ex quibus duo erant strategi. „Cum his actum de iis rebus, quae deinde ab Aristophonte ad populum latae sunt: 1) v. 5—17 civitas Julietarum Atheniensibus pecunias debitas persolvere iubetur, 2) v. 17—27 praecipitur, ut foedus post primam defectionem factum cum iuris iurandi formulis et Julide et Athenis lapidi inscriptum proponatur. 3) v. 27—49 constituitur, ut qui alterius rebellionis participes fuerint, exsules sint bonaque eorum publicentur. 4) v. 49—56 collaudantur qui per has turbas in fide Atheniensium manserunt iisque utilem operam praestiterunt[2]).“ Singulas res, cum per se satis perspicuae sint, non est quod pluribus exponam. At vero duas res paulo accuratius perspiciamus necesse est.

Ac primum quidem quaeritur, quae fuerint pecuniae illae debitae, de quibus hic agitur. De pecuniis illis in titulo haec legimus: τρία τάλαντα τὰ ἐκ τοῦ λογισθέντος ἀργυρίου κατὰ τὸ ψήφισμα τοῦ δήμου τοῦ Ἀθηναίων, ὃ Μενέξενος εἶπεν. Koehler iure de residuis tributis haec dicta esse coniecit eumque omnes fere secuti sunt. Szanto[3]) solus Koehleri sententiam impugnavit atque pecunias illas aliter explicare conatus est. Putat enim vir ille doctus, Atheniensium fautores ab Atheniensibus tria talenta mutua sumpsisse atque, Thebanorum fautoribus eiectis, pecunias illas civitatis aes alienum agnovisse. Quae sententia permira est. Athenienses enim si fautoribus suis re vera pecunias illas dederunt, num verisimile est de pecuniis cogendis ea decrevisse, quae v. 10 sq. legimus? Mea quidem sententia pecuniae, quas Athenienses privatis suis commodis servientes dederant, numquam ab iisdem acerbissime exactae essent. Deinde verba, quae supra exscripsi, dilucide demonstrant, hic nisi de residuis tributis cogitari non posse. Praeterea Athenienses ipsi utramque rebellionem sedaverunt;

1) Schaefer, Dem. I² p. 149 sq. et Curtius, Gr. Gesch. III⁶ p. 354 sq. permirum in modum has duas rebelliones confuderunt: quod quomodo fieri potuerit non intellego.

2) Dittenbergeri sunt verba, qui rem illam paucis verbis commode exposuit.

3) Szanto, Wien. Stud. VIII 1886 p. 3 sq. cf. infra Cap. III § 5.

cur insuper etiam pecunias mutuas dederint non patet. Neque ea intellego, quae Szanto [1]) de „Stilisierung des Decretes" disputavit: nescio enim quomodo Athenienses id aliter exprimere potuerint. Quod exsules ab Atheniensibus restituti tria talenta residua esse detulerant, in eo offendendum non est; apparet enim, id partim ad Atheniensium iram placandam, partim ad adversarios puniendos factum esse. Jam vero ad Koehleri optimam coniecturam revertamur. Aristophontem Azeniensem, qui alteram rebellionem sedavit quique psephisma illud tulit, Hyperides de repetundis postulavit, sed ille superior discessit [2]). Cei ergo haud dubie tria illa talenta persolverunt.

Restat ut de iuris iurandi formulis pauca adiciam. Koehler sagacissime tres iuris iurandi formulas exstare intellexit: 1) v. 57—69 iurant Atheniensium strategi atque socii, 2) v. 69—81 Cei insulae urbes, 3) Cei redacti. Koehlerum iure Dittenberger et Sonne [3]) secuti sunt. Hartel [4]), qui Koehleri sententiam refellere studuit, totam rem turbavit. Primum enim iusiurandum ab Atheniensibus et Ceis redactis iuratum esse atque verbis οἱ σύμμαχοι Ceos redactos significari dicit; alterum iusiurandum sic restituit: ὅρκοι καὶ συνθῆκαι τῶν πόλεων τῶν ἐν Κέῳ πρὸ[ς τοὺς στρατηγοὺς τοὺς Ἀθηναίων] καὶ Κείων οὓς κατήγαγον Ἀθηναῖοι, tertium denique: [τάδε ὤμοσαν (sc. αἱ πόλεις αἱ ἐν Κέῳ) Κείοις οὓς κατήγαγον Ἀθηναῖοι]. Haec sententia perversa est. Atqui verbis οἱ σύμμαχοι Ceos redactos significari dicit. Itane vero? v. 29 verbum σύμμαχοι significat socios: ergo secundum Hartelium verbum illud in eodem titulo nullo omnino signo apposito modo socios modo Ceos redactos significare potest! Deinde si in primo iure iurando

---

1) Szanto, l. l. p. 3 et 4 not. 15.

2) cf. Schol. ad Aeschin. Tim. 64, qui falso narrat: *παρανόμων ἑάλω*. Hyperides enim ipse (pro Eux. 38) dixit: *παρὰ δύο ψήφους ἀπέφυγε*. cf. Koehler, l. l.; Schaefer, l. l.; Beloch, Att. Pol. p. 159 et not. 4.

3) Sonne, De arbitris externis, Gottingae 1888 p. 109.

4) Hartel, Stud. über att. Staatsr., Sitzber. d. Wien. Acad. 1878 (XCI) p. 104 sq. cf. Heydemann, De senatu Athen. p. 47 (Dissert. Argent. IV 1880 p. 193) mirum in modum Hartelium secutus est.

Cei redacti „οἱ σύμμαχοι" appellantur, cur iidem in altero iure iurando non item σύμμαχοι sed Κείων οὓς κατήγαγον Ἀθηναῖοι dicuntur? At Hartel sententiam suam firmare conatus est: „Und als Bundesgenossen werden dieselben ja auch an einer anderen Stelle unzweideutig bezeichnet, indem der Abfall der Julieten ein Abfall von Athen und den Keiern und den übrigen Bundesgenossen genannt wird (Z. 29 πολεμήσαντες ἐναντία τῷ δήμῳ τῷ Ἀθηναίων καὶ Κείοις καὶ τοῖς ἄλλοις συμμάχοις). Sed quonam tandem modo ex verbis illis colligi potest, verba οἱ σύμμαχοι postea simpliciter usurpata esse de Ceis redactis? De hoc argumento ergo non est quod verba faciam. Ex v. 28 dilucide efficitur (id quod Hartel ipse postea concessit) socios una cum Atheniensibus atque exsulibus pugnasse: ergo non intellego, cur secundum Hartelium de sociis ne cogitari quidem possit. Itaque primum iusiurandum ab Hartelio falsissime explicatum est. Neque meliora sunt reliqua. Incipiamus a tertia iuris iurandi formula. Hartel scribit: τάδε ὤμοσαν (sc. αἱ πόλεις αἱ ἐν Κέῳ). Itane? Equidem talia verba neque omitti potuisse neque umquam omissa esse existimo. Mea quidem sententia manifestum est in lacuna illa nihil aliud fuisse nisi ea, quae Koehler optime coniecit. Quibus concessis etiam in secunda iuris iurandi formula Hartelii supplementa ferri non possunt. Coniecit enim πρὸ[ς τοὺς στρατηγοὺς τῶν Ἀθηναίων], falsissime quidem, nam socii omissi esse non possunt. In iure iurando enim ipso legimus: [συμμαχήσω Ἀθηναίοις καὶ] τοῖς συμμάχοις, porro: οὐ[κ ἀποστήσομαι ἀπ' Ἀθηναίων καὶ τῶ]ν συμμάχων, denique v. 76 sq. ex Dittenbergeri coniectura verisimillima scriptum est: ἐὰ[ν δέ τις τολμᾷ ἀδικεῖν Κείων τοὺς κατελθ]όντας ἢ Ἀθηναίου]ς ἢ τῶν συμμάχων τινὰ παρὰ τοὺς ὅρκους καὶ] τὰς συνθήκας, ergo eaedem tres partes, quae supra in iuris iurandi praescriptione exstant: v. 69 sq. [ὅρκοι καὶ συνθῆ]και τῶν πόλεων τῶν ἐν Κέῳ πρὸ[ς Ἀθηναίους καὶ τοὺς συμμάχους| καὶ Κείων οὓς κατήγαγον Ἀθηναῖοι. Sed nolo in refellenda Hartelii sententia multus videri: de re enim ipsa, mea quidem sententia, ne dubitari quidem potest.

Sed ad propositum revertamur. Rebellione sedata Cei

in fide mansisse videntur. De reliquis fatis nihil fere habemus compertum. Diodorus [1]) quidem narrat Nicophemo archonte (a. 361) Alexandrum Pheraeum nonnullas Cycladas expugnasse atque incolas vi abduxisse, sed ea num etiam ad Ceum pertineant, diiudicare non possumus. Deinde a. 357 exarsit bellum illud notissimum, quod Athenienses cum sociis gesserunt: sed in insula Ceo temporibus illis quid factum sit ignoramus. Num Cei bello composito in fide manserint traditum non est, sed mea quidem sententia ex iis, quae de pugna Chaeronensi apud Lycurgum legimus, certe hoc colligere possumus. Καὶ τὸν δῆμον (sc. Athenienses), inquit Lycurgus (Leocr. 42), ὃν πρότερον Λακεδαιμόνιοι καὶ Πελοποννήσιοι καὶ οἱ τὴν Ἀσίαν κατοικοῦντες Ἕλληνες βοηθὸν ἐπεκαλοῦντο, οὗτος ἐδεῖτο τῶν ἐξ Ἄνδρου καὶ Κέω καὶ Τροιζῆνος καὶ Ἐπιδαύρου ἐπικουρίαν αὐτῷ μεταπέμψασθαι. Idem omissis locorum nominibus narrant Demosthenes, Aeschines, Dinarchus [2]). Athenienses post cladem Chaeronensem quam fuerint commoti perturbatique notissimum est. Consternatio illa idcirco tanta erat, quod Philippum cum victore exercitu iam iamque in Atticam venturum et Athenas oppugnaturum esse putabant. Hyperides, Demosthenes, Lycurgus permulta procuraverunt paraveruntque, ut Athenienses urbis oppugnationem sustinere possent. Sed quid ego illa commemorem? At vero Demosthenes mox animum demisit atque locum suum reliquit. Specie enim pecuniae a sociis cogendae atque frumenti coëmendi, triremem conscendit et praeter alios locos, quos supra commemoravi, etiam Ceum petivit. Licet Demosthenis admiratores et cultores etiam haec ei laudi dent, equidem me non idem de hac re sentire fateor. „Jeder andere konnte es ebenso gut,“ iure docet Holm, „das Geldeintreiben haben die athenischen

1) Diod. XV 95 *Ἀλέξανδρος μὲν ὁ Φερῶν τύραννος ληστρίδας ναῦς ἐκπέμψας ἐπὶ τὰς Κυκλάδας νήσους, τινὰς μὲν ἐκπολιορκήσας πολλῶν σωμάτων ἐκυρίευσεν.* cf. Schaefer, Dem. I² p. 131 et not. 3.

2) Dem. de cor. 248; Aesch. in Ctes. 159, 209, 226, 253; Din. in Dem. 80 sq.; cf. Schaefer, Dem. III² p. 15 sq.; Beloch, Att. Pol. p. 232; Holm, Gr. Gesch. III p. 320 sq.

Feldherren stets vortrefflich verstanden. Aber den Muth des Volkes aufrechterhalten, wenn Philipp näher rückte, das hätte Niemand so vermocht, wie der beliebte Redner. Er hätte auch, sollte man denken, der Ansicht sein müssen, dass sein Platz im Augenblick der höchsten Gefahr bei seinen Mitbürgern sei.“ Sane id non fecit timore Philippi perterritus. Mea quidem sententia non male causam perspexit Beloch cum scripsit: „So entging er der Nothwendigkeit, zum zweiten Mal der Bürgerschaft den Frieden mit Philipp empfehlen zu müssen,“ nam Atheniensium animos commutatos esse — id quod luce clarius ex eo perspicere possumus, quod Athenienses imperium Charidemo abrogaverunt atque Phocioni detulerunt (Plut. Phoc. 16) — Demosthenem fugere non poterat.

Clades Chaeronensis alteri societati maritimae finem imposuit. Athenienses enim per pacem illam, quam cum Philippo inierunt, exceptis Delo, Samo, Lemno, Imbro, omnes insulas amiserunt. Cei ergo libertatem recuperaverunt [1]) pertinebantque ad eos etiam omnia, quae in universum de omnibus pacis illius compotibus accepimus [2]).

Ad eadem tempora referendum est, quod Plutarchus de Timoleonte narrat [3]): καὶ γὰρ Ἀκράγαντα καὶ Γέλαν, πόλεις μεγάλας μετὰ τὸν Ἀττικὸν πόλεμον ὑπὸ Καρχηδονίων ἀναστάτους γεγενημένας, τότε κατῴκισαν τὴν μὲν οἱ . . . . , τὴν δὲ οἱ περὶ Γόργον ἐκ Κέω πλεύσαντες καὶ συναγαγόντες τοὺς ἀρχαίους πολίτας etc. Gela a. 338 denuo incolis frequentata est. Erunt fortasse, qui causam quaerant, cur Cei illi in Siciliam migraverint. Causae quae fuerint migrandi sane ignoramus, sed equidem Holmium non male coniecisse puto, migrationem illam non aliter esse explicandam atque complures

---

1) Insulae enim, qui temporibus alterius societatis maritimae cum Atheniensibus fuerant consociatae, omnes pacis illius compotes fuisse videntur: in pace autem id constitutum fuisse discimus ex Schol. in Dem. de cor. 89: *αὐτοὺς αὐτονόμους εἶναι καὶ ἀφορολογήτους.*

2) Schaefer, Dem. III² p. 27 sq. et 51 sq.

3) cf. Plut. Timol. 35; Grote X p. 467 sq.; Holm, Gr. Gesch. III p. 460 sq. et 468, 3; Holm, Gesch. Sicil. II p. 215; Head, Hist. numorum, Oxford 1887 p. 124.

alias migrationes, quae temporum illorum erant propriae. Itaque certas quasdam causas migrationi illi subfuisse negaverim.

Iam vero in examinandis titulis rarisque veterum scriptorum locis ad finem paragraphi pervenimus. Referendi quidem sunt ad tempora illa etiam satis multi tituli alii, sed ex illis nihil colligere possumus, quod ad Cei insulae historiam pertineat: itaque infra suis locis de singulis titulis agam. Ceterum non alienum fortasse videtur commemorare proxenorum illum catalogum haud dubie Carthaeensium: ex catalogo illo, de quo infra uberius dicam[1]), aliqua quidem ex parte cogitatione nobis fingere possumus, quantum fuerit temporibus illis Ceorum commercium.

---

4. Reliquae Cei insulae res inde a pugna Chaeronensi usque ad nostra tempora.

Pugna Chaeronensis, ut supra vidimus, Ceis αὐτονομίαν, tributorum immunitatem, liberam navigationem attulit. At vero inde ab his temporibus Cei insulae res continuo ordine enarrare desistamus necesse est, cum ex paucis titulis paucioribusque scriptorum locis nihil fere — aut non multum quidem — de rebus illis colligere possimus.

Atque Alexandrum Magnum, cum patri in regno successisset, omnes pacis quam supra commemoravimus condiciones constitutionesque Corinthi sanxisse constat. Sed hoc si exceperis nihil de Alexandri Magni temporibus habemus compertum. Memnonis quidem consilium si esset perfectum, magnas sane rerum commutationes effecisset: sed Memnon ipse cecidit, Persae autem, qua semper erant stultitia, consilio illo non magnam tribuerunt vim. Mirandumne est expeditionem illam ad irritum redactam esse? Ceterum notissimum est civitates Graecae quam fuerint permotae perturbataeque, quantumque

1) n. 10. cf. Cap. III § 2.

indignarentur Alexandri Magni edictum de exsulibus restituendis[1]: sed de Ceis nominatim nihil accepimus.

Licet autem de rebus externis nihil fere habeamus cognitum, tamen de internis eorum rebus ex nummis qui supersunt nonnulla colligere possumus. Supra vidimus temporibus V a. Chr. saec. antiquioribus suos quamque insulae urbem signasse nummos: qui nummi argentei erant, ergo urbes illis temporibus floruisse videntur. Saeculis autem V et IV nulli omnino nummi in insula Ceo signati esse videntur (exceptis sane nummulis), neque est quod miremur: Cei enim parebant Atheniensibus, Atheniensium autem nummi adeo in omnium erant usu, ut opus non esset suos signare nummos. At vero post pugnam Chaeronensem versa sunt omnia. Atheniensium enim non solum dominatio atque maris Aegaei principatus, sed etiam auctoritas subversa est. Cei igitur, cum libertatem recuperassent, novarum rerum ratione ducta non ita multo post ad insulanorum societatem se applicaverunt: sed priusquam hoc fecerunt, singulae insulae urbes inter se iunxerant societatem, cuius testes sunt nummi atque tituli nonnulli, de quibus mox infra uberius erit dicendum. Nummi illi quos dixi, sunt aenei omnesque litteris KEI vel KEIΩN signati[2]. Communes ergo Cei illis temporibus habebant nummos. Atque societatem illam satis artam fuisse colligere possumus ex titulis (n. 21—23 et n. 77), qui etsi ad extremum III s. referendi sunt, nihilominus eundem rerum statum indicare mihi videntur. Habebant insulae urbes senatum comitiaque communia etc., sed de rebus illis infra suo loco uberius agam[3]).

At vero etsi insulae urbes societatem inter se iunxerant, tamen temporibus illis minime sufficiebat. Quid enim perparva ac tenuis insula ipse per se proficere potuit? At in commercio insulae salus nitebatur. Quid igitur mirum Ceos liben-

1) Diod. XVIII 8; Curt. X 2, 4; Just. XIII 5. cf. Schäfer, Dem. III² p. 315 sq.; Droysen, Gesch. d. Hell. I² 2 p. 274 sq.

2) cf. infra Cap. III § 5 init. Head recte nummos illos ad finem IV s. et ad III s. rettulisse mihi videtur.

3) cf. Cap. III § 2.

ter se ad insulanorum applicasse societatem, cum tale praesidium desiderarent? Sane Cei insulanorum societatis participes fuisse nusquam diserte dicuntur[1]), sed ex disquisitionibus Homollii, Hauvettii, Schoefferi dilucide apparet omnes Cyclades foederis illius fuisse participes. Ceterum de insula Ceo id ex se intellegitur, cum Cei et amphictyoniae Deliacae et societatis Deliaco-Atticae et alterius societatis maritimae fuerint participes. Societatis illius (οἱ νησιῶται vel τὸ κοινὸν τῶν νησιωτῶν) res atque instituta cum a viris quos supra dixi uberius sint exposita, non meum esse existimo ea hic denuo enarrare. Atque id quidem Schoeffer (p. 95) iure demonstrasse mihi videtur, non Ptolemaeum (quae Homollii erat sententia) foederis principem fuisse, sed Rhodios. Aegyptiorum regum auctoritatem toto mari Aegaeo maximam fuisse, minime nego: „sed Ptolemaei reges," inquit Schoeffer, „ea erant prudentia, ut fideles eos socios habere mallent quam libertate erepta eorum a se animos abalienare." Quod quamquam de Rhodiis tantum dixit manifesto etiam ad ceteros pertinet socios. Ad tempora illa referendus est Carthaeensium titulus n. 17: collaudatur a Carthaeensibus Φιλόθηρος Ἀντιφάνους Ἁλιεύς, [τετ]αγμένος ὑπὸ τὸν βασιλέα Πτολεμαῖον[3]). Qui fuerit ille Ptolemaeus non constat. Boeckh Ptolemaeum Philadelphum intellexit eique tributum, quod v. 4 coniecit ([χρημά]των), pensum esse dixit. Droysen[4]) sic iudicavit: „ob die Inschrift von Keos, welche von Tributen an Aegypten spricht, in die Zeit des zweiten Ptolemaios gehört, ist nicht ausgemacht." De Ptolemaeo quidem Droysen non male

---

1) Exstat quidem titulus (C. J. G. n. 2272 = Lebas II 1773) ex Asia in Angliam translatus, quem Boeckh Deliis titulis, Lebas Ceis adnumeravit. Lebas quibus causis permotus hoc fecerit, ignoramus. Equidem titulum ad insulam Delum referre minime dubito.

2) cf. Homolle, Bull. de Corr. Hell. IV (1880) p. 320 sq.; Hauvette-Besnault, ibid. VII (1883) p. 5 sq.; Schoeffer, De Deli ins. reb. p. 91 sq.

3) cf. Homolle, l. l. p. 322: „Le titre de *τεταγμένος ὑπὸ τὸν βασιλέα* se rencontre assez fréquemment etc."

4) Droysen, Gesch. d. Hell. III² 1 p. 329 not. 1.

iudicavit, quod rem certam esse negavit, sed mea quidem sententia erravit, quod Boeckhii coniecturam pro certa habuit atque de tributis ibi dictum esse docuit. Ac primum quidem Boeckhii coniectura lacunam non explet: desunt enim non quinque litterae, sed sex vel septem [1]). Sed id quod gravissimum est, ne sensus quidem recte se habere videtur. Boeckh quidem haec scripsit: „Philotherus autem aliquoties Carthaeam venerat ad aliquid repetendum [2]); quid hoc fuerit nisi tributum ordinarium? Accedit quod is dicitur ἐν τούτοις συμπεριφέρεσθαι, hoc est indulgentiam praestare. Unum quod praeterea conicere possis, fuerit hoc, de repetendis pecuniis mutuo datis dictum fuisse: sed prius longe praefero.“ Mihi quidem haec minime placent. Dixi supra Aegyptiorum regum auctoritatem satis magnam fuisse; sed eos tantum apud socios valuisse auctoritate, ut eos cogere possent tributum pendere, minime est verisimile. Neque enim quidquam de hac re accepimus, neque verisimile mihi videtur tributum illud tam singulari modo collectum fuisse, neque Rhodii unquam ad talem societatem se applicassent. Jam vero quaeritur, quomodo titulus ille sit explicandus. Mea quidem sententia in titulo agitur aut de pecuniis (a Deliis haud dubie) mutuo datis, aut de illis pecuniis, quae ab unaquaque civitate pro opibus eius exigebantur atque a synedrio administrabantur [3]). Est quidem res illa satis incerta. Quod hic „πλειονάκις“ scriptum exstat, in eo offendendum non est. Parvae enim insulae temporibus illis adeo erant adflictae, ut interdum 50 dr. mutuas sumerent, ut legato munera hospitalia praebere possent [4]).

---

1) cf. Broendstedii atque Lebasii apographa.

2) *παραγινόμενος πλειονάκις εἰς τὴν πόλιν Καρ[θαιέων] ἐπὶ τὴν κομιδὴν τῶν . . . . . . των ? ἐν τούτοις τε συνπεριφέρεται καὶ τὴν ἐνδημίαν ποιεῖται καλῶς καὶ εὐτάκτως* etc.

3) cf. Schoeffer, l. l. p. 97.

4) cf. titulum Amorginum, Mitth. I (1876) p. 337 v. 19 sq. *δοῦναι δὲ αὐτῷ καὶ ξένια τοὺς στρατηγοὺς ἀπὸ δραχμῶν πεντήκοντα, τοὺς δὲ ταμίας εἰς ταῦτα ὑπηρετεῖν δανεισαμένους, κομιδὴν δὲ εἶναι αὐτοῖς αὐτοῦ καὶ τοῦ τόκου ἀπὸ τῆς δεκάτης τῶν προσόδων.* cf. etiam Bull. de Corr. Hell. IV p. 327 sq.; Schoeffer l. l. p. 94 sq.

Haud raro ergo socii pecunias mutuas sumpsisse videntur. Quomodo lacuna expleri possit, nescio: fortasse ἐπὶ τὴν κομιδὴν τῶν [δανεισμά]των scribendum est, sed hoc si scribimus, octo litteras periisse coniciamus necesse est, cum omnes editores non plus quam septem litteras ibi fuisse testentur. Neque plura scimus de alio titulo n. 72, quem Boeckh verbo βασιλε[ῖ]ς vel βασιλέ[α]ς commotus ad tempora illa rettulit cum scripsit: „de Aegypti regibus opinor, quibus aliquamdiu parebant Cyclades.“ Mea quidem sententia lapis adeo est fractus, ut neque titulus restitui neque sensus probabiliter erui possit: ergo titulum illum potius missum faciamus. Ceterum eodem iure etiam βασιλε[ύ]ς scriptum fuisse potest, neque est, quod ex solo verbo illo (quoquomodo scriptum fuit) colligamus, Aegyptiorum reges in titulo eo commemorari, cum etiam de aliis cogitari possit: sane de Aegyptiorum regibus coniecturam in medio positam esse minime nego.

Sed nolo singula persequi, quae temporibus illis obscurissimis in insula facta esse verisimile sit. Nam de variis eius fortunae vicibus nihil neque ex titulis neque ex scriptoribus habemus compertum atque supervacaneum esse existimo, hic meras proferre coniecturas, quae nullis certis nitantur fundamentis.

In titulis Cei commemorantur demum exeunte tertio a. Chr. saeculo. Temporibus illis Aetolos longe lateque maria navibus piraticis infesta reddidisse ideoque satis multas civitates praecaventes cum Aetolis foedera fecisse, quis est quin sciat. Inter civitates illas non infimum locum obtinent Cei, non sine causa. Vidimus enim supra (p. 21 sq.) Naupactios per aliquod tempus insulam incoluisse, Naupactum autem Philippus a. 338 Aetolis tradidit, id quod a. 342 promiserat [1]): eo ipso tempore Aetoli haud dubie in amphictyoniam Delphicam adsciti esse videntur [2]). Cei igitur saluti suae consulentes cum Aetolis foedus inierunt, quae quidem res non mul-

1) Strabo IX 427 init.; Schäfer, Demosth. II² p. 427, 559.

2) Bücher, De gente Aetolica amphictyoniae participe, Bonnae 1870 p. 18 sq.; Schaefer l. l.

tum habuit difficultatis: prisca enim Locrorum cum Ceis necessitudo in Aetolos transierat, Aetolique metropolis munere adversus Ceos fungebantur, Cei autem pro colonia habebantur Aetolorum. Colligere haec possumus ex quattuor titulis, quos saepissime attuli (n. 21—23 et n. 77). Decreta illa sunt haec: n. 21 Aetolorum decretum, n. 22 Naupactiorum, n. 23 Ceorum, n. 77 item Naupactiorum. De primo et tertio decreto res dubia esse non potest. Secundum decretum Naupactiorum esse Boeckh dilucide demonstravit cum ex totius decreti argumento tum ex praescripto magistratu eponymo: ἐπὶ θεωροῦ Σωκράτους τοῦ Τιμόνου. Quartum decretum Rhangabé Ceorum esse dixit: „un décret du peuple des Céens, qui exprime sa reconnaissance aux Aetoliens, d'un acte par lequel ceux-ci accordaient des privilèges aux Céens en consideration de leur relation de parenté" (n. 21). Mea quidem sententia Rhangabé prorsus erravit. Titulo enim praescriptum est: Σωκράτης Τιμώνου εἶπεν. Rhangabé ipse animadvertit, Socratem illum eundem esse qui n. 22 commemoratur [1]), sed miram de hac re sententiam protulit: contendit enim universos Ceos misisse Delphos theoriam ductu Socratis. At vero supra vidimus Socratem Naupactiorum fuisse theorum i. e. magistratum eponymum; ergo manifestum est etiam hoc decretum Naupactiorum esse. Ceterum titulus adeo mutilatus et corruptus est, ut certi nihil ex eo eruere possimus. Jam vero ad decreta ipsa revertamur. Continent igitur amicitiam et societatem [2]) inter Aetolos Naupactiosque et Ceos factam. Res ipsa etsi satis clara est, nihilominus controversias inter viros doctos fecit. Droysen [3]) enim Ceos in Aetolorum sympolitiam receptos esse putavit. Kuhn [4]) iure docuit Ceos et Naupactios sibi invicem non sympolitiam, sed isopolitiam tribuisse, Aetolos autem tantum amicitiam renovasse atque ἀσυ-

1) Quod n. 22 *Τιμόνου*, hic *Τιμώνου* scriptum est, in eo offendendum non est; titulus enim pessime exscriptus esse videtur.

2) cf. Polyb. XVIII 5: *Αἰτωλῶν φίλοι καὶ σύμμαχοι.*

3) Droysen, Gesch. d. Hell. III² 1 p. 446 sq.; impr. 448.

4) Kuhn, Ueber d. Entstehung d. Städte d. Alten, Lpz. 1878 p. 120 et not. 290.

λίαν decrevisse; sed erravit Kuhn, cum verba ὡς Αἰτωλῶν ὄντων τῶν Κείων vertit: „gleich als ob sie Aetoler wären, nicht dass sie es wären.“ Kuhnio hac in re iure oblocuti sunt Bücher et Feldmann [1]), qui contra Kuhnium eadem attulerunt, quae supra ipse exposui, Locrorum dico cum Ceis necessitudinem, quae in Aetolos transierat. Similiter etiam de titulorum aetate viri docti dissentiunt. Boeckh ex n. 21 v. 4 [2]) collegit, decreta illa eius esse aetatis, ubi Aetoli sibi amphictyonum iura solis adrogassent, ideoque intra Ol. 135—140 (240—220 a. Chr.) esse composita. Boeckhium secuti sunt Rhangabé et Hicks. Bücher titulos certe III s. incisos esse existimavit, ceterum rem in medio reliquit. Dittenberger [3]) Boeckhii sententiam refellere conatus est: „ac certe magnam tum inter Amphictyonas Aetolorum auctoritatem fuisse apparet, at cur ei potissimum tempori quo Aetoli plus dimidia suffragiorum parte in concilio amphictyonico habebant titulum tribuamus nulla est causa. Admodum similem esse titulum Teium C. J. G. 3046 fere 193 a. Chr. compositum Boeckh monuit.“ Swoboda [4]) titulos illos ad initium secundi saec. pertinere dixit. Mea quidem sententia viri illi docti iniuria Boeckhii sententiam impugnaverunt. Ac primum quidem ex titulo eo apparet, satis artam temporibus illis necessitudinem atque amicitiam inter Aetolos et Naupactios (i. e. Locros) fuisse. Quod post bellum ab a. 220 cum sociis gestum fuisse negaverim. Constat enim Locrenses ab Aetolis defecisse; sane scio postea Locrenses denuo Aetolis adiudicatos esse, sed quantum equidem iudicare possum, talia decreta post bellum illud lata non essent. At Dittenberger titulum Teium attulit; sed etsi concedo, tituli argumentum satis esse simile, tamen aliquantum etiam interest inter titulos illos. Dittenbergerum enim manifesto fugit, in titulo Teio nullo omnino

1) Bücher l. l. p. 18 sq.; Feldmann, Analecta epigr. ad hist. synoec. et sympol. Graec. p. 121 (Dissert. Argent. IX 1885 p. 217).

2) μήτε ποτ' Ἀμφικτυονικὸν μήτε ποτ' ἄλλο ἔγκλημα μηδέν.

3) Ditt. Syll. n. 183 not.

4) Swoboda, Griech. Volksb., Lpz. 1890 p. 278 s. v. Karthaia „wahrscheinlich Beginn des zweiten Jh.“

verbo amphictyoniam commemorari, id quod supra de Ceorum titulis vidimus. Aetolos etiam initio II s. ἀσυλίαν decernere potuisse ex se intellegitur neglecto Teiorum titulo: gravissimum autem discrimen inter titulos illos est amphictyoniae mentio, quam minime levioris momenti habere debemus. Praeterea Aetoli in Ceorum titulis decreta illa fecerunt una cum Naupactiis, quorum artam cum Ceis necessitudinem sibi adrogaverant: quod post bellum cum sociis gestum fieri potuisse nego. Restat denique tertia causa, de qua paulo uberius dicam necesse est.

Aegyptiorum enim rex Ptolemaeus IV Philopator a. 205 mortuus est, regni autem successor erat infans, Ptolemaeus V Epiphanes. Eam occasionem reges Syrorum et Macedonum, Antiochus III et Philippus V non praetermittendam rati foedus inierunt his condicionibus, ut Antiochus Coelesyriam, Phoeniciam etc., Philippus mare Aegaeum et Hellespontum [1]) occuparet. Id Rhodii sane concedere non poterant atque societate cum Pergamenorum rege Attalo iuncta Philippo obstiterunt. Sed singula persequi cum a proposito abhorreat, monuisse sufficit Philippum primo prospere pugnasse atque iussu eius Aetolorum praedonem Dicaearchum insulas — inter eas sine ulla dubitatione etiam Ceum, id quod statim videbimus — occupasse atque diripuisse. Anno denique 200 a. Chr. versa sunt omnia. Athenienses enim illo anno indigno facinore [2]) Philippi odium in se contraxerunt, et Acarnanes comprobante Philippo atque Macedonum auxiliis confirmati Atticam ferro ignique populaverunt. Quo facto Athenienses Attalum, Rhodios, Aegyptios advocaverunt atque legatos Romam miserunt, qui auxilium peterent. Interea Attalus Rhodiique Philippum ex Caria expulerunt atque cedentem persecuti Aeginam venerunt. Inde Attalus Athenas traiecit, ubi societate confirmata ab Atheniensibus egregie exceptus summisque honoribus adfectus est. Deinde Attalus Aeginam revertit, Rhodii autem

1) cf. Polyb. III 2, 8; XVIII 54, 8 sq.; Liv. XXXI 14, 5 sq.; Appian. Maced. 3.

2) cf. Liv. XXXI 14, 6 sq.

„Ciam ab Aegina, inde per insulas Rhodum navigarunt omnibus praeter Andrum Parumque et Cythnum, quae praesidiis Macedonum tenebantur, in societatem acceptis [1].“ Cei ergo Macedonum dominatione, quae perpaucos annos duraverat, rursus liberati sunt. Reliquis belli casibus nihil hoc loco utimur. Jam vero ad Ceorum decreta quae supra dixi, revertamur. Belli temporibus illa facta esse non possunt. Sed etiam post bellum illud compositum praeter alias causas quas supra attuli decreta illa lata esse stricte negaverim, quia mea quidem sententia rerum status longe alius erat, atque qui ex decretis illis cognoscitur.

Inter titulos ab Halbherro Julide repertos exstat etiam titulus permutilus n. 50, quem Manthos quidem a. 1864 paulo pleniorem vidit, sed tituli argumentum ne ex hoc quidem apographo restitui potest, cum non pateat, quid sibi velint verba (δ)ωρεὰς ἔδωκεν. In titulo (v. 3 et 4) bis occurrit nomen Attali, quod Halbherr recte sic supplevit: [Βασιλεὺς] Ἄτταλος | [Βασιλέως] Ἀττάλο[υ], atque Attalum II Attali I filium intellexit, qui post Eumenem fratrem inde ab a. 159 usque ad a. 138 regnavit. De Attalo I hic cogitari non posse Halbherr recte monuit (l. l. not. 5). Ex titulo illo colligere possumus, Pergamenorum auctoritatem Cei etiam post bellum illud plurimum valuisse. Sed deficientibus documentis certi quicquam de hac re si quis eruere velit, stolidum sane sit inceptum.

Priusquam autem ad Romanam, ut ita dicam, aetatem accedamus, paucis monuerim ad III et II s. praeterea referendos esse nonnullos titulos, quos supra praetermisi, quia nihil ad res a Ceis gestas pertinent. Tituli illi maximam partem sunt proxeniae decreta [2]) ut n. 17, n. 71 atque alii complures, quorum aetas certe definiri non potest. Sed exstant praeterea nonnulli tituli, quibus Ceis proxenia a civitate quadam peregrina confertur velut III s. a Deliis (n. 133. 134), a Delphis (n. 136. 137), ab Atheniensibus (n. 130). Praeterea haud

1) Liv. XXXI 15, 8; Polyb. XVI 26, 10.
2) cf. infra Cap. III § 2.

alienum videtur commonere, in aliarum civitatum catalogis agonisticis temporibus illis commemorari etiam homines ex insula Ceo oriundos velut III s. Deli inter comoedos anni 261 (n. 132), II s. Delphis inter viros choreutas (n. 138—141) et quidem quattuor annis continuis. Ad tempora illa denique referendum est Sarapiastarum decretum, quod Foucart Macedonicae aetatis esse dixit: sed de titulo illo infra uberius dicam [1]).

Sed ad propositum revertamur. Aetolorum auctoritate a. 189 funditus eversa, insulae in mari Aegaeo sitae non meliore quam antea condicione utebantur. Nam id quod Aetoli ante fecerant quodque Cei societate cum iis iuncta prohibere conati sunt, Cretenses postea multo atrocius faciebant, insulani autem consilio auxilioque orbi nesciebant, quomodo latrocinia et praedationes arcere possent. Quid mirum insulas paulatim ad summam inopiam et hominum et opum esse redactas? Eo maiore autem miseri illi insulani adfecti sunt gaudio, cum a. 67 Pompeius piratas ad internecionem adduxit insulanosque peste illa liberavit. Quae modo de universis insulis dixi, etiam de insula Ceo valent. Colligere hoc possumus ex Julietarum titulo honarario (n. 51), ubi Pompeius εὐεργέτης καὶ σωτήρ appellatur [2]). Halbherr, qui titulum illum edidit, iure coniecit titulum post piratas devictos incisum esse et quidem intra annos 67 et 48 „epoca in cui colla battaglia di Farsalo tutta la Grecia venne in potere dei Cesariani.“ Mihi quidem titulus ille aut statim aut certe proximis post piratas devictos annis incisus esse videtur.

Ne quid omittam breviter monuerim, a. 51 Ciceronem in Ciliciam proficiscentem etiam Ceum visisse [3]). Praeterea intra annos 69 et 62 inter ephebos Atticos enumeratur etiam Θεόφιλος quidam Φίλωνος Καρθαιεύς (n. 131).

Ceterum Pompei in civitatibus Graecis auctoritas non

---

1) n. 81 cf. infra Cap. III § 5.

2) *ὁ δῆμος Γναῖον Πομπήϊον Γναίου υἱὸν Μάγνον τὸν εὐεργέτην καὶ σωτῆρα.*

3) cf. Cic. ad Attic. V 12, 1.

ultra a. 48 valuit. Anno illo enim pugna Pharsalia auctoritatem eius sustulit Graecorumque civitates triumphantes Caesarem victorem exceperunt. Sane fieri non poterat, quin omnium semper victorum studiosi essent: sed Pompeius ipse Graecorum gratiam perdiderat. Nam quomodo a Pompeianis etiam regiones a locis, quibus bellum gestum erat, remotae omnibus modis exhaustae atque vexatae sint, colligere possumus vel ex iis, quae Caesar [1]) enarravit atque exposuit. „qui horum quid acerbissime crudelissimeque fecerat", inquit l. l. „is et vir et civis optimus habebatur." Mirandumne est, Graecos libentissime Caesarem excepisse? Etiam Cei satis multas in eius honorem positas esse statuas probant duae bases, quae ad nostram aetatem servatae sunt. In priore basi (n. 25) Caesar appellatur pontifex maximus et imperator (ἀρχιερεύς et αὐτοκράτωρ) eique tribuuntur nomina εὐεργέτης et σωτὴρ τῆς πόλεως. Titulum illum Boeckh iure post pugnam Pharsaliam aut Alexandriam captam incisum esse dixit. In altera basi (n. 26) cum divus appellatus sit, titulus post mortem eius exaratus esse patet: ceterum in titulo illo appellatur θεὸς καὶ αὐτοκράτωρ καὶ σωτὴρ τῆς οἰκουμένης, ex quibus ultima verba notanda sunt, cum supra simpliciter dictus sit σωτὴρ τῆς πόλεως.

Anno 42 Antonius cum Athenis commoraretur, Atheniensibus praeter alia dona etiam insulam Ceum condonavit [2]). Augustus etsi a. 21 nonnullos locos Atheniensibus ademit, nihilominus praeter alias insulas etiam Ceum in eorum dicione manere passus est: hoc enim iure collegit Boeckh ex titulo n. 61, de quo mox infra videbimus.

Permulta illa bella, quorum nonnulla supra attuli, primum diadochorum, deinde Romanorum bella quae dicuntur civilia, Aetolorum Cretensiumque latrocinia et praedationes, si reputamus, mirari non possumus Graecas civitates post tantas calamitates vastas ac fere desertas fuisse. De Thebis quidem Strabo IX 403 haec narrat: ἐξ ἐκείνου δ' ἤδη πράτ-

1) Caes. bell. civ. III 31 sq.
2) Appian. b. c. V 7.

τοντες ἐνδεέστερον ἀεὶ μέχρι εἰς ἡμᾶς οὐδὲ κώμης ἀξιολόγου τόπον σώζουσι · καὶ αἱ ἄλλαι δὲ πόλεις ἀνὰ λόγον πλὴν Τανάγρας καὶ Θεσπιῶν." „Quae oppida quodam tempore florentissima fuerant", queritur Servius Sulpicius [1]) „nunc prostrata et diruta ante oculos iacent .... cum uno loco tot oppidum cadavera proiecta iacent." Notissimum etiam est illud Horatii (Epist. II. 2,81) „vacuae Athenae". At non meliore fortuna Cei usi sunt. De iis enim Strabo X 486 similia fere tradit: „Κέως δὲ τετράπολις μὲν ὑπῆρξε, λείπονται δὲ δύο, ἥ τε Ἰουλὶς καὶ ἡ Καρθαία, εἰς ἃς συνεπολίσθησαν αἱ λοιπαί, ἡ μὲν Ποιῆσσα εἰς τὴν Καρθαίαν ἡ δὲ Κορησία εἰς τὴν Ἰουλίδα .... ἡ Κορησία κατοικίαν οὐδὲ κώμης ἔχουσα .... τῶν τῆς Ποιήσσης ἐρειπίων [2])." Ceterum non est quod miremur, cum tot deinceps Cei insulae ruinae exstiterint causae. Neque umquam postea Cei pristinam prosperitatem recuperasse videntur.

De nummis, quos singulae urbes saec. II et I a. Chr. signaverunt, infra uberius dicam [3]).

Longius quam institueram sum provectus; ad reliqua pergamus. Atque Ceus quidem inde ab illis temporibus certe usque ad Septimium Severum (ergo usque ad initium III p. Chr. n. s.) in Atheniensium dicione mansisse videtur. Hoc iure Boeckh collegit ex titulo n. 61, cui subscriptum est ἐπιμελητεύοντος Δεξικ[ρ]άτους τοῦ Τειμωκλείδου Παλλην[έω]ς. De curatoribus illis ab Atheniensibus impositis, qui ἐπιμεληταί dicebantur, nuper egit Koehler [4]). De temporibus illis nihil fere habemus compertum. Exstant sane nonnulli tituli, sed illi ad unum omnes sunt honorarii atque subscripti sunt statuis aut imperatorum Romanorum aut uxorum imperatoriarum aut nobilium hominum Romanorum. Ceterum titulorum

1) cf. Cic. ad. fam. IV 5, 4. Servii Sulpicii verba pertinent ad litora sinui Saronico adiacentia.

2) cf. etiam Plin. IV 12, 62, qui tamen falso urbes illas „mari devoratas" esse dixit.

3) cf. Cap. III § 5 init.

4) Koehler, Mitth. I (1876) p. 267 sq. cf. etiam de Delo Schoeffer l. l. p. 200 sq.

numerus perparvus est. Iam vero eos servato temporum ordine perlustrabimus. Atque honoratur in Julietarum titulo n. 52 Livia, coniux Imperatoris Augusti: ὁ δῆμος Λειβίαν αὐτοκράτορος Καίσαρος γυναῖκα. Boeckh titulum illum ad Sabinam, Imperatoris Hadriani coniugem, pertinere putabat, sed Boeckhii coniectura ferri non potest, cum in lapide ΛΕΙΒΙΑΝ scriptum sit, neque quicquam ante verbum Καίσαρος desit. Incertae aetatis sunt Julietarum tituli n. 54—56 et n. 59, quorum n. 59 in honorem Deae Romae exaratus est; reliquorum argumenta satis sunt obscura[1]). Dicata praeterea est statua Domitiano (n. 60 Αὐτοκράτορα Δομιτιανὸν Καίσαρα Σεβαστὸν Γερμανικόν): qui cum Germanicus hic sit dictus, Julietarum ille titulus intra annos 84 et 96 incisus sit necesse est, nam Domitianus a. 84 post expeditionem in Chattos susceptam Germanicus appellatus est[2]). Ab iisdem Julietis statua honoratus est etiam Tib. Claud. Atticus Herodianus Tib. Claud. Attici Herodis atque Βιβουλλίας Ἀλκίας filius (tit. n. 61); filius ille sub Septimio Severo floruisse videtur. Tituli n. 90, 105, 27 a Pittaci cum pessime sint exscripti, nihil ex iis eruere possumus. Breviter denique monuerim Valerium Maximum[3]) cum Sexto Pompeio in Asiam proficiscentem etiam Julida visisse atque interfuisse voluntariae morti, quam summae dignitatis femina, nonagesimum annum egressa, sibi conscivit.

Haec habui de Cei insulae fatis quae dicerem. Anno 212 a Caracalla omnes qui tum in orbe Romano erant, cives Romani facti sunt[4]) atque inde ab iis temporibus etiam in civi-

---

1) Halbherr titulum sic supplevit: *ὑπὲρ τῆς τοῦ Σε]βαστοῦ Σωτηρίας [θεοῖς Σεβα]στοῖς · ὁ ἀρχιερεὺς [— — — —]οτέλης* (vel — — — *οτέλους*) *Φιλοκαῖσαρ*, atque haec adnotavit: „Dalla proporzione delle linee pare evidente non esservi posto pel nome dell' imperatore nella prima.“ Qui hic commemoratur *ἀρχιερεύς* haud dubie erat *ἀρχιερεὺς τῶν Σεβαστῶν*.

2) cf. Halbherr, l. l.; Schiller, Gesch. d. röm. Kaiserzeit I p. 528 not. 1.

3) cf. Val. Max. II 6, 8. Annus certe definiri non potest; ceterum constat id ante a. 28 p. Chr. factum esse.

4) cf. Mommsen, Hermes XVI (1881) p. 474 sq.; Schiller, l. l. p. 750; Willems, le droit public Romain, 1883[5] p. 398 sq.

tatibus Graecis rerum status mutatus est: sed de illis quidem temporibus nihil ad posteritatem pervenit. At vero non alienum videtur etiam ea adferre, quae Cei posterioribus temporibus usque ad nostram aetatem facta sunt. Quae cum et a proposito abhorreant, et a Bursiano[1]) nuperrime paucis verbis accuratius sint expressa, aptissimum censeo verba eius simpliciter hic exscribere. „Im byzantinischen Reiche," inquit, „gehörte sie zur Eparchie von Hellas oder Achaia (Hierokl. Synecd. p. 646, 2). Nach der Eroberung Konstantinopels durch die Lateiner ergriffen im Jahre 1207 vier venezianische Freibeuter — Pietro Giustiniani, Dominico Michieli und die Brüder Andrea und Geremia Ghisi — Besitz von Keos und Seriphos und theilten diese unter sich; unter dem Schutze von Venedig behaupteten sie nicht nur selbst, sondern auch ihre Nachkommen, beziehendlich Rechtsnachfolger sich in diesem Besitze. Im J. 1537 eroberte Khaireddin Barbarossa die Insel Keos. Im J. 1541 wurde dieselbe mit dem Herzogthum Naxos vereinigt und kam mit diesem 1566 in die Gewalt der Türken[2]). Heutzutage bildet sie in Verbindung mit Kythnos und Seriphos eine Eparchie des Nomos der Cycladen im Königreiche Hellas."

1) cf. Ersch u. Gruber, Allg. Encycl. s. v. Keos.

2) cf. Hopf, Veneto-byzantin. Analecten, Sitzb. d. Wien. Acad., phil.-hist. Cl., XXXII p. 426 sq. et 441 sq.

III. De rebus publicis Ceorum.

1. De hominum in insula Ceo generibus et de populi divisione.

De publicis Ceorum rebus disputaturus haud ab re esse duco primum de hominum generibus et de populi divisione ea exponere quae ex titulis Ceis licet cognoscere. Omnis populus, sicut in ceteris Graeciae civitatibus, in tres ordines discriptus erat, in cives inquilinos (μέτοικοι sive πάροικοι) servos. De quorum statu ac condicione cum nonnulla ex titulis nostris discere possimus, singulos ordines diligentius consideremus.

Ac primum quidem de civium [1]) discriptione dicam. Dividebatur enim populus sicut in ceteris civitatibus Ionicis in tribus, phratrias, pagos: quod cum per se verisimillimum est tum satis certis confirmatur testimoniis. Atque tribus, ut ab iis incipiam, quattuor fuisse valde est probabile. In omnibus enim civitatibus Ionicis quattuor tribus exstant, exceptis tantum Ionibus Asiae Minoris, qui notis illis tribubus Ionicis nonnullas alias adiunxerunt [2]). Cei insulae tribuum nomina nobis tradita sunt nulla, sed ea alia fuisse atque in ce-

1) Beloch, Bevölkerung der griech.-röm. Welt, p. 181 in insula Ceo anno 425/4 c. 2000 cives fuisse putat, sed numerus ille neutiquam pro certo haberi potest.

2) cf. Herod. V 69; Gilbert, Gr. Staatsalt. II p. 306; Busolt, Iw. Müllers Hdb. IV 1, p. 21; Schoeffer, de Deli ins. reb. p. 109.

teris civitatibus non est verisimile [1]. Ceterum in uno tantum decreto earum fit mentio (n. 16), ubi a Carthaeensibus civitate donatur Λύκων quidam Πυθέα Βυζάντιος [2]. Ergo certi quicquam de hac re proferre non possumus.

Multo notabilior et singularis quaedam est altera civium discriptio, οἶκος dico, cuius idem Lycon l. l. fit particeps. Sed quid sibi vult ille οἶκος? Halbherr, qui primus titulum illum publici iuris fecit, οἴκους tribuum partes fuisse censet [3]. Quam rem iterum attigit atque paulo accuratius tractavit in commentariolo „Sopra un catalogo inedito di Keos" inscripto [4]: οἴκους hic quoque tribuum partes esse contendit atque idem significasse putat atque γένη, documentis usus titulo quodam Calymnio imprimisque noto illo atque saepissime tractato decreto Attico quod est de Δεκελειῶν οἴκῳ in Demotionidarum phratria. Ceorum οἴκους tribuum partes fuisse concedo, sed minime οἴκους atque γένη idem significasse existimo.

Jam vero ipsi rem illam diligentius inspiciamus. Donatur in titulo illo Lycon civitate eique permittitur tribum atque οἶκον eligere, quibus se adscribi velit. Halbherr recte docuit, de familia hic cogitari non posse: „Troppo strano," inquit, „sarebbe che il nuovo cittadino dopo l'iscrizione ad una tribu avesse potuto ottenere anche quella ad una casa a sua scelta, concessione che non apparteneva certamente alle attribuzioni dello stato, ma spettava al diritto privato." Sane

1) Larfeld, Burs. Jhb. 60 (1889) p. 487 mirum in modum Ὑλιχίδας etc. tribuum nomina esse dixit. Sed Larfeld l. l. aliorum sententias simpliciter reddere solet: ergo non est, quod de hac inani re, quam Larfeld haud dubie per imprudentiam protulit, verba faciam.

2) cf. n. 16, v. 11 sq. *εἶναι δὲ αὐ[τὸν] πολίτην τῆς πόλεως τῆς Καρ[θα]ι[έων] καὶ τοὺς ἐκγόνους αὐτοῦ μετέχοντας πάντων ὧν καὶ οἱ ἄλλοι πολῖται [κα]ὶ φυλῆς ἧς ἂν βούλωνται καὶ οἴκο[υ....*

3) Mus. Ital. I p. 218 „*οἶκος* come suddivisione della tribù (*φυλή*)".

4) Mitth. d. d. arch. Inst. IX (1884) p. 319 sq. Sententia eius imprimis demonstratur his verbis (p. 320): „— serviva come termine u f f i c i a l e per la designazione di *γένος*. Il diritto di participare ad una *φυλή* e ad un *οἶκος* nell' epigrafe cea corrisponde adunque a quello che in un simile decreto calymnio è chiamato concessione di *φυλά* e di *συγγένεια*." cf. Anc. greek inscr. in the Brit. Mus. II n. 238

quidem; sed num verisimilius est, civibus adscripticiis licuisse sibi gentem quamlibet eligere, quae Halbherri est sententia? Equidem hoc neque unquam factum esse, neque fieri potuisse existimo. Attulit quidem Halbherr duo documenta, sed neutrum ferri potest.

Ac primum quidem, ut ab Attico titulo ordiar[1]) satis constare videtur Δεκελειῶν οἶκον non significasse Δεκελειῶν gentem, neque istam gentem omnino exstitisse[2]). Titulus ille maximas inter viros doctos controversias movit. Inter permultas disputatiunculas, quas singulas enumerare nihil attinet[3]), nulla exstat, quae οἴκου illius naturam recte definivisse videtur. Itaque cum et res illa sit maxime controversa et de gente hic cogitari non possit, titulus ille pro documento haberi non potest. Sed fac οἶκον ibi significasse gentem, de Ceo titulo hoc nihil probat, nam cives adscripticios numquam gentem sibi quamlibet eligere potuisse supra dixi.

Neque melius est alterum argumentum. Legimus quidem in titulo illo Calymnio: φυλὰν δὲ αὐτῷ ὑπάρχειν καὶ συγγένειαν ἂν ἂν καὶ τῷ πατρὶ μέτεστι Ἀγοράνακτι, sed titulus ille ab editore atque ab omnibus, qui eum adhibuerunt, non recte intellectus esse videtur. Titulos enim Calymnios si perlustramus, ubique de civibus adscripticiis haec usurpatur formula: ἐπικλαρῶσαι δὲ αὐτὸν καὶ ἐπὶ φυλὰν καὶ δᾶμον τοὺς προστάτας· ἔλαχε φυλᾶς τ. δ., δάμου τ. δ. Ab usu illo longe abhorret hic titulus, sed quae rei ratio sit nemo adhuc perspexit. Agoranactis filius, in cuius honorem decretum illud est compositum, bis in eo titulo commemoratur et quidem bis scriptum est: τὸν υἱὸν αὐτοῦ τὸν πρόγονον. Newton de verbis illis sic iudicavit: „the politeia — could not be trans-

1) Lolling, Ἀρχ. δελτ. 1888 p. 161 sq.; Pantazidis, Ephem. Arch. 1888 p. 1 sq ; Tarbell, Americ. Journ. of Arch. 1889 p. 135 sq. Tituli initium ed. Koehler, C. I. A. II n. 841b.

2) cf. R. Schoell, Sitzber. d. bayer. Acad. 1889 II p. 19 sq.; Toepffer, Rhein. Mus. 1890 p. 384 not. 1.

3) Pantazidis, Tarbell, Toepffer, Buermann, Buck, Paton, R. Schoell.

mitted to his eldest son as an hereditary right without the formality of a decree," sed sententia eius duabus de causis probari non potest. Ac primum quidem civitas semper conferebatur etiam in liberos donati (καὶ αὐτὸν καὶ ἐγγόνους), ergo non patet, cur filius natu maximus honore illo exclusus sit. Res fortasse probabilitatis speciem haberet, si filius ille, priusquam pater a Calymniis civitate donatus est, ipse sui fuisset iuris atque in civitate sua omnibus civium iuribus usus esset. Sed alterum argumentum et quidem gravissimum omnes illas probabilitates funditus evertit. Verbum πρόγονος enim omnino non potest significare filium natu maiorem vel maximum, sed aut 1) filium, qui natus est priusquam pater civitate donatus est, aut 2) privignum. De priore notione hic cogitari posse stricte nego, neque quemquam cogitaturum esse puto, nam verbis καὶ αὐτὸν καὶ ἐγγόνους omnes manifesto liberi comprehenduntur. Tale sophisma a decretorum illorum perspicuitate longe abhorret. Prorsus aliter res se habet, si de privigno decretum illud factum esse sumimus. Agoranactis privignus sane erat filius aliuscuiusdam viri ex Agoranactis uxore ante matrimonium cum Agoranacte initum genitus. Talem filium non per se iisdem atque patrem iuribus uti potuisse, ex se intellegitur. Ergo titulus ille non est simplex civitatis decretum, nam argumentum eius prorsus singulare est. Itaque etiamsi verbo συγγένεια hic γένος significatum esset, id de Ceo titulo nihil probaret propter istam ipsam causam singularem; praeterea privignum non per se ad patris gentem pertinuisse ex se intellegitur. Sed ne de gente quidem viros doctos hic recte cogitasse existimo: dilucide enim scriptum est „ὧν ἂν καὶ τῷ πατρὶ μέτεστι." Ex verbis illis, quibus semper privilegia significantur, atque ex tituli argumento συγγένειαν potius phratriae respondisse coniecerim; praeterea non populi erat privignum in patris gentem assumere, sed Agoranactis gentiliumque. Sed rem illam satis incertam non contenderim.

Satis dictum esse arbitror, Halbherri argumentationem variis de causis comprobari non posse. Jam vero ipsi videamus, de Ceorum οἴκοις quid sit statuendum. Quod ut defini-

amus necesse est civitatum Graecarum praecipue Ionicarum divisiones paulum examinemus [1]).

Atque civitatum divisiones si examinamus, duo divisionum genera invenimus: gentiliciam et topographicam, quarum gentiliciam multo antiquiorem esse apparet. In omnibus civitatibus Ionicis — quarum praecipue hic interest — populus antiquitus in phylas et phatrias discriptus erat. Herodotus (I 147) Apaturia ab omnibus Ionibus praeter Ephesios et Colophonios acta esse narrat [2]), Apaturia autem phratriarum sollemnia fuisse quis est quin sciat [3]). Praeterea in omnibus civitatis decretis civibus adscripticiis permittitur tribum et phratriam sibi eligere, velut καὶ πρὸς φυλὴν καὶ φρατρίαν προσγραφῆναι ὁποίαν ἂμ βούλωνται (Tenos); ἐξεῖναι δὲ αὐτοῖς καὶ φυλῆς γενέσθαι, ἧς ἂν βούλωνται καὶ φρατρίας ἧς ἂν ... (Andros); sed nolo exempla illa cumulare, cum res ipsa sit notissima. Altera populi discriptio erat topographica, quam recentiorem fuisse vel ex eo colligere possumus, quod rei publicae administrandae et rei militaris causa instituta esse videtur. Sed gentilicia discriptio minime sublata est, ideoque in omnibus civitatibus Graecis duae simul in usu erant populi divisiones. Ceterum res illa, quae in universum satis clara est, singula si persequimur permultis obstructa est difficultatibus, quae nondum recte explicatae sunt. Tota igitur quaestio digna est, quae denuo retractetur. Quod cum a proposito meo longe abhorreat, nonnullarum civitatum discriptiones hic proponam, ut ipse quid sentiam ex tabula illa perspici possit.

Athenae	: tribus	pagi	phratriae
Ceos	: tribus	pagi	phratriae (οἶκοι)

1) Non necessarium existimo omnes dissertationes enumerare, quas de hac re contuli (Vischer, Kuhn, Leist, Feldmann, Fustel de Coulanges etc.; Burckhardti libellus mihi praesto non fuit), cf. etiam antiquitatum artes Schoemanni, Hermanni, Gilberti, Busolti.

2) cf. Cap. III § 5.

3) cf. etiam Hom. B. v. 362 sq. κρῖν' ἄνδρας κατὰ φῦλα, κατὰ φρήτρας, Ἀγάμεμνον, ὡς φρήτρη φρήτρηφιν ἀρήγῃ, φῦλα δὲ φύλοις.

Teos	: tribus	πύργοι	συμμορίαι [1])
Rhodos	: tribus	δᾶμοι et κτοῖναι	πάτραι [2])
Calymna	: tribus	δᾶμοι	συγγένειαι [3])
Delos	: tribus	τριττύες	phratriae [4])
Tenos	: tribus	τόνοι	phratriae
Andros	: tribus	[pagi]	phratriae.

Sed haec alia quaestio; nos ad propositum revertamur. Ac Ceorum quidem discriptionem eandem fuisse existimo, i. e. dividebantur mea quidem sententia Cei in tribus, pagos, phratrias: ergo topographica et gentilicia discriptiones etiam ibi coniunctae erant. De tribubus supra vidimus; iam ceteras divisiones examinemus.

Supra vidimus Halbherrum οἴκους cum gentibus aequasse, sed sententiam illam probandam non esse. Equidem οἴκους phratriis respondisse contendo. Οἴκων nomina Halbherr in tribus titulis Ceis nobis servata esse putat: sunt enim Λεῶδαι,

---

1) πύργοι sunt urbis partes, quae ad singulas urbis turres pertinebant: cf. Scheffler, De rebus Teiorum, Lips. 1882, p. 36 sq. — συμμορίας, quas viri docti gentibus Atticis respondisse putant, equidem potius phratrias fuisse existimo. De topographica et gentilicia discriptionum coniunctione cf. Busolt, Iw. Müllers Hdb. IV 1, p. 24 not. 8: „Mitglieder desselben Turmes konnten also zu verschiedenen Symmorien gehören. Andererseits gehören Mitglieder derselben Symmorie zu verschiedenen Türmen.... Das ist nur möglich bei einer Kreuzung gentilicischer und territorialer Einteilung."

2) Res hic controversissima est. Cf. dissertationes, quas enumeravit Schumacher, De republ. Rhodiorum, Heidelb. 1886 p. 13; cf. praeterea p. 12 sq. et p. 30 sq. Cf. etiam Aug. Mommsen, Burs. Jhb. 60 (1889) p. 421 sq. Equidem ctoenas pagis respondisse contendo; at vero etiam δάμους pagos fuisse viri docti docuerunt: quod quomodo coniungendum sit ignoro. — Neque constat, πάτραι quomodo sint explicandae. Viri docti πάτρας gentes fuisse suspicantur, sed equidem eas citius phratriis respondisse coniecerim. Ceterum, quoquomodo res se habet, quin aliarum civitatum discriptionibus gentiliciis responderint, dubitari non potest.

3) De Calymniorum συγγενείαις cf. quae supra p. 60 sq. exposui.

4) Schoeffer, De Deli ins. reb. p. 109 sq.

Ὑλιχίδαι, Θ[υ]σσίδαι, Κορ[ή]σιοι, Ἀνταλκίδαι [1]). Si οἴκους non gentes sed phratrias esse sumimus, Halbherr recte nomina illa ad οἴκους rettulit, id quod statim demonstrabo. Incipiamus ab Hylichidis. Nomen illud bis occurrit, sed catalogi n. 41 natura cum valde sit obscura, videamus quae ex titulo n. 49 eruere possimus. Titulus ille sepulcralis continet verba Διονύσιος Διονυσίου Ὑλιχίδης. Boeckh, qui titulum edidit, de verbis illis haec adnotavit: „cum raro in civitatibus a gente cuiquam addatur cognomentum, videtur hoc loco Ὑλιχίδης potius a pago ductum nomen esse, ita ut gentis nomen in nomen pagi versum sit, ut Athenis Δαιδαλίδαι etc.“ Sed de pago hic cogitari non potest; maxime vero cavendum est, ne Attica instituta in ceteras civitates conferamus. Exempla, quae optime in hunc locum quadrant, exstant Tei, ubi semper symmoriae nomen additur, ut δ. δ. τοῦ Φιλαίου πύργου, Κυδωνίδης, ubi verbo Κυδωνίδης symmoriam significari colligere possumus ex titulo C. J. Gr. II n. 3065 et 3066: usurpantur enim ibi nomina Ἐχινάδαι et ἡ Ἐχίνου συμμορία. Teiorum autem symmorias phratriis respondisse supra vidimus. Exstat nomen illud etiam apud Callimachum [2]), ubi Simonides poeta appellatur Ὑλλίχου νέπους, quod recte Halbherr δημότης Ὑλιχίδης significare posse negavit. Verbum „νέπους“ apud poetas Alexandrinos idem significat atque „nepos“ quod saepissime apud Vergilium, Ovidium, alios verti potest in „Nachkomme, Sprössling“. Sed ex Callimachi illo fragmento certi nihil de Hylichidis colligere possumus. Ceterum non alienum videtur adferre, in catalogo n. 41 inter nomina ad Ὑλιχιδῶν phratriam pertinentia primo loco occurrere nomen Λεωπρέπης, quod nomen etiam Simonidis patri erat. Habemus praeterea locationem Ἀνταλκιδῶν (n. 70), quos neque pagum neque gentem sed phratriam tantum fuisse contendo: argumentum

---

1) cf. n. 49 *Ὑλιχίδης*; n. 41 *Λεῶδαι* (col. I v. 1), *Ὑλιχίδαι* (col. III v. 29), *Θ[υ]σσίδαι* (col. IV v. 1), *Κορ[ή]σιοι* (col. IV v. 64); *Ἀνταλκίδαι* n. 70 v. 7, 9, 21.

2) cf. Schol. ad Pind. Isthm. 2, 9; Halbherr, Mitth. IX (1884) p. 320 sq.

enim totius tituli, quocum optime Dyalensium locatio [1]) conferri potest, hoc dilucide docet. Vidimus ergo Antalcidas et Hylichidas haud dubie phratrias fuisse; sin in catalogo n. 41 iidem Ὑλιχίδαι commemorantur, cetera autem nomina duobus illis nominibus simillima sunt (Λεώδαι, Θ[υ]σσίδαι, Κορ[ή]σιοι), omnia illa nomina summa cum probabilitate nisi ad phratrias referri non posse videntur. Ceterum catalogi illius natura tantis offusa est tenebris, ut ne scintilla quidem ulla nobis ad dispiciendum relicta sit. Neque divinare possum, quid sibi velint litterae nonnullis nominibus additae (ΔΩ, ΕΥ, ΛΕΥ, ΕΡΑ): diiudicent alii [2]).

Iam vero ad Ceorum pagos accedamus. Anno 1883 Carthaeae inventus est titulus gravissimus n. 14, qui continet rationes quaestorum templi Apollinis Pythii. In tituli illius partibus antica et postica (B et C) exstat „una lista di nomi propri di persone accompagnati ciascheduno da un' espressione contenente il nome d'una località indicato quasi sempre colla preposizione ἐν e il dativo è seguito da un numero. Esempio: Εὐ]κτήμων Εὐάν(δρου?) τὰ ἐν Ἱερῷ Λιμένι: 𐅄ΔΔΔ — — — (B 57); Φαναγόρας τὰ [ἐγ] Κόπρῳ: ΔΠ — — (B 4)" [3]). Locorum illorum, de quibus hic agitur, nomina in titulo commemorantur haec: Κόπρος (B 4), Προβαλινθούς (B 7, 11, 55), Μέλισσος vel Μέλισσον (B 54 et [B 6?]), Ἀκτή (B 56), Ἱερὸς Λιμήν (B 57 et [C 6?]), Πέτρας (B 63); maxima cum probabilitate porro restitui possunt: Φηγῶνες (B 12) et Φω-

1) cf. C. I. A. II n. 600.

2) Halbherr, qui gentes in hoc catalogo intellegit, nomina hic enumerata fuisse putat „di una serie d' individui aventi il diritto di participare ad un culto privato o particulare d' una fratria, d'una tribù o di un thiasos col centro in uno speciale santuario di Julis o del suo territorio." Sed ex meris coniecturis nullum fructum capere possumus. Permiram sententiam protulit Bechtel, Gött. Abh. 1887 n. 50, qui catalogum illum proxeniae decretum (sic!) esse dixit; quid? quod hunc errorem praeterea in Halbherrum contulit? Similiter etiam tit. n. 10 argumentum perverse indicavit addito Koehleri nomine, quem iterum non recte intellexit.

3) cf. Halbherr, Mus. Ital. I p. 211. De tituli argumento cf. n. 14 not.

κεῖον (B 52). B 5 Halbherr supplevit τὰ ἐμ Μετά[λλοις?]; supplementum illud quidem incertum, sed non sine veritatis specie est, nam in insula Ceo multa erant metalla [1]): loci illius nomen ergo Μέταλλον vel Μέταλλα fuisse potest.

Age vero iam videamus, quid sibi velint illa nomina. Halbherr recte animadvertit, nomina Κόπρος et Προβαλινθούς congruere cum pagorum Atticorum nominibus [2]); etiam nomen Φηγῶνες pagi Attici nomini simile est [3]). Sed Halbherr ea nihil aliud nisi locorum nomina esse dixit, quam sententiam minime veram esse censeo. Ex nominum enim illorum cum demis Atticis consensu necesse est concludere, loca illa demis Atticis aliqua ratione respondisse. Confirmatur autem nostra de nominibus illis sententia, si nonnullos aliarum civitatum titulos consimiles adhibemus. Enumerantur quidem in Teniorum quodam titulo, quem Newton nuper denuo edidit [4]), permulta pagorum nomina. „The text", inquit Newton, „contains a register, ἀναγραφή, of sales of land and houses, together with, in some cases, farm stock and furniture. Each entry states the deme or other place in which the property sold is situated etc." Pagorum illorum nomina commemorantur sic: τὰ ἐν Ἐλαιοῦντι, Βαλανείῳ, Λιμενείᾳ, Πανόρμῳ, Μηλίᾳ etc. Nomina τὰ ἐν Προβαλινθοῦντι (Ceos) atque τὰ ἐν Ἐλαιοῦντι (Tenos), Ἱερὸς Λιμήν (Ceos) atque Λιμένεια (Tenos) etc. similiter esse explicanda, quis est quin concedat. Comparari possunt praeterea Rhodiorum ctoenae [5]), quarum nomina Mommsen iure ex locis ducta esse dixit [6]). Ne multa: nomina in titulo illo Ceo, documentis usus illis, pagorum nomina esse censeo. De pagorum illorum situ nihil fere pro certo dici

---

1) cf. p. 1 sq. et Cap. III § 5.

2) *Κόπρος* tribus *Ἱπποθωντίδος*, *Προβάλινθος* tribus *Πανδιονίδος*.

3) *Φηγοῦς* tribus *Ἐρεχθηΐδος* vel *Φηγαία* tribuum *Αἰαντίδος*, *Αἰγηΐδος*, *Πανδιονίδος*.

4) Boeckh, C. I. Gr. II n. 2338; Newton, Anc. greek inscr. in the Brit. Mus. II n. 377 p. 147 sq.; Dareste — Haussoullier — Th. Reinach, Recueil d. inscr. jur. grecq., I Paris 1891, n. VII p. 63 sq.

5) De ctoenis cf. supra p. 63 not. 2.

6) cf. Aug. Mommsen, Burs. Jhb. 60 (1889) p. 423 sq.

potest. Πέτρας tantum pagus haud dubie in meridiana insulae parte situs erat, nam regio illa hodie quoque vocatur Πετροῦσσα. Ceteros potius missos faciamus.

Quibus rebus expositis satis docuisse videor, in insula Ceo populum etiam in tribus, pagos, phratrias discriptum fuisse; etiam nomina quaedam non sine aliqua probabilitatis specie et ad pagos et ad phratrias referri poterant. Verbo οἶκος phratriam significari conieci. Confiteor quidem, me primo paulisper dubitasse an rectius verbum οἶκος ad pagos referri possit (οἶκος = Ϝοῖκος = vicus = Bezirk), nam pervaria exstant regionum nomina, ut χῶρος, δῆμος, κώμη, κτοῖνα, τριττύς, vel in urbibus πλατεῖαι, τόνοι, πύργοι. Nihilominus verbum οἶκος rectius ad phratrias referendum esse censeo, quia et nomen illud ita facilius explicari potest et (id quod gravissimum est) in omnibus civitatibus Jonicis civibus adscripticiis permittitur tribum sibi et phratriam eligere, non tribum et pagum, qua de re supra uberius disputavi: in titulo autem illo (n. 16) scriptum est καὶ φυλῆς ἧς ἂν βούλωνται καὶ οἴκου.

Non alienum videtur commemorare, Cei mulieres sicut Athenis, per omnem haud dubie vitam iure publice agendi caruisse, ideoque suos habuisse κυρίους [1]).

Sed de Cei insulae civibus satis dictum est; deinceps, ut erat propositum, cetera hominum Cei habitantium genera tractanda sunt. Ac primum quidem de servis libertinisque pauca adferre mihi liceat. Servi commemorantur in duobus tantum decretis (n. 15 et n. 128). In priore decreto (n. 15) curatori fontis datur potestas servos verberandi: κύριος ἔστω ὁ ἐπιμελητής.... τοὺς δ' ἐπ[ί] (τ)[όπ]ους (κ)[αταλησπ]τοὺς οἰκέτας πληγαῖς κολάζων [2]). In altero decreto (n. 128) servi delatores manumitti iubentur; indicium, quod illi accipiebant, diversum erat prout servi illi aut eorum erant, qui rubricam contra leges exportabant, aut ceterorum insulae civium: sed

---

1) cf. tit. n. 14 passim.

2) Quomodo Larfeld (Burs. Jhb. 1889, vol. 60 p. 486) οἰκέτα hic etiam ad ingenuos referre potuerit, non intellego.

quae fuerit illa diversitas, dicere non possumus, cum versus illi adeo mutilati sint, ut restitui non possint. Pro servis, similiter atque Athenis, haud dubie etiam tributum esse pensum, statim infra videbimus. De servis igitur cum nihil fere proferre possimus iam ad libertinos transeamus. Atque in decreto illo quod modo commemoravi (n. 128) constitutum est, ut servi delatores manumittantur. Athenis libertini in inquilinorum (μετοίκων) ordinem transibant, sed domino suo certa quaedam officia praestare debebant atque in eius clientela permanebant [1]). Eadem de Ceorum libertinis adfirmaverim. Deinde libertinos inquilinosque tributum quoddam pependisse (μετοίκιον sine dubio) colligere possumus ex Coresiorum lege n. 66, ubi v. 9 sq. haec legimus: ἑστιᾶν δὲ τούς τε πολίτας καὶ οὓς ἡ πόλις κέκληκεν [2]) καὶ τοὺς μετοίκους καὶ τοὺς ἀπελευθέρους ὅσοι τὰ τέλ[η] φέρουσι εἰς Κορησίαν [3]). Distinguuntur in decreto illo dilucide inquilini atque libertini: mea quidem sententia libertini praeter diversitatem illam, quam modo attuli, pergebant etiam τὸ τέλος τῶν ἀνδραπόδων pendere, sicut Athenis, nam pro servis etiam tributum pensum fuisse persuasum habeo. Quod quamquam de Coresiis tantum traditum est, in ceteris insulae urbibus aliter fuisse non est verisimile. De inquilinorum [4]) condicione nihil fere constat: in Julietarum titulo n. 40 commemoratur προστάτης (v. 26/27 Μείδωνα καὶ προστάτην Ἀριστοκλῆ), sed Μείδων ille inquilinusne fuerit an libertinus, diiudicari non potest, neque constat habuerintne inquilini προστάτας necne; deinde supra vidimus pependisse eos etiam tributum (μετοίκιον). Sed de eorum iuribus muneribusque nihil accepimus neque ex aliarum civitatum exemplis singula restituere conari attinet. Donantur in titulis n. 18 et 16 (?) πάροικοι quidam civitate propter praestantiam,

1) cf. Wilamovitz, Hermes XXII (1887), impr. p. 223 sq.

2) Qui honoris causa a civitate invitati sunt.

3) Similiter Ephesi distinguuntur *πάροικοι* atque *ἐξελεύθεροι* cf. Ditt. Syll. n. 253 v. 44 sq. *τοὺς ἰσοτελεῖς καὶ παροίκους καὶ ἱεροὺς καὶ ἐξελευθέρους καὶ ξένους* cf. Menadier, Qua condicione Ephesii usi sint etc. Berol. 1880 p. 9.

4) n. 18 v. 3 *παροικῶν ἐγ Καρθαίᾳ*; n. 66 v. 10 *μέτοικοι*.

liberalitatem, benevolentiam eisque permittitur praedia acquirere iuribusque eisdem uti atque ceteros cives; permissum iis quoque fuisse tribum sibi eligere atque οἶκον, quibus se adscribi vellent, supra pluribus docui.

2. De senatu et contione.

Priusquam ad singularum Cei insulae urbium senatuum contionumque rationem et condicionem accedam non alienum censeo paucis ea complecti atque commonere, quae supra (Cap. II) uberius exposui. Atque vidimus in insula Ceo antiquitus quattuor fuisse oppida. Oppida illa temporibus quarto a. Chr. saec. antiquioribus sympolitia coniuncta fuisse videntur ita quidem, ut res externas communiter administrarent, in rebus autem domesticis sui iuris essent. Quae sympolitia per se satis laxa, ineunte IV a. Chr. saeculo adeo dissoluta est, ut singula oppida in omnibus rebus, et externis et domesticis, sui iuris essent. Sed illa oppidorum αὐτονομία non diu viguit. Tertio enim a. Chr. saec. exeunte in insula denuo invenimus sympolitiam vel potius κοινόν, sed artioribus vinculis coniunctum quam superioribus temporibus. Primo a. Chr. saec. parva illa oppida, Poiessa et Coresia, synoecismo cum maioribus oppidis Carthaea et Julide coniuncta sunt.

Haec praemittere placuit, cum hac paragrapho diligentius quaerendum sit, quae fuerit in insula et communium et singularum urbium senatus comitiorumque ratio et condicio.

De priore, quam dixi, sympolitia cum non multa dici possint eaque supra (Cap. II) uberius commemorata sint, hic breviter omnia argumenta adstringam. Vidimus Ceos pugnis apud Artemisium Salaminaque factis cum quattuor navibus interfuisse [1]; praeterea distincte monui, Salaminiae pugnae etiam alias insulas interfuisse, pugnae autem apud Artemi-

1) Her. VIII 1: Κήιοι δύο τε νέας καὶ πεντηκοντέρους δύο.

sium promunturium commissae solos Ceos. Broendsted[1]) singulas Cei insulae urbes singulas naves misisse putat et quidem Julida atque Carthaeam triremem, Coressum autem Poiessamque πεντηκόντορον. Erunt fortasse qui illam Broendstedi coniecturam, quam certe numerorum consensu permotus fecit, non modo probent, sed etiam optimum documentum habeant insulae urbes sui iuris fuisse. Sed illa Broendstedi coniectura ferri non potest. Est enim verisimillimum Ceos, cum ex omnibus insulis soli ceteris Graecis pro libertate pugnantibus se applicaverint, id coniunctim fecisse; illud enim adduci vix possum, ut credam per se unamquamque urbem consilium illud cepisse. Porro non est verisimile singulas urbes singulas naves misisse: fecerunt id universi Cei ex consensu omnium, atque ex communi senatus populique decreto naves illas coniunctim armaverunt.

Vidimus deinde tripodi illi Delphico post pugnam Plataicam dedicato, simpliciter incisum fuisse verbum Κεῖοι (n. 135); quae res etsi per se non multum probat, tamen una cum aliis indiciis prioris sympolitiae documentum esse potest.

Vidimus porro Ceum insulam foederis Attici sociam fuisse. Ex laterculis sexagesimae tributorum concludere licet, semper universos Ceos tributa illa una pependisse. Coresii sane semel separatim in tabulas illas relati sunt, sed hoc aliter explicandum esse neque sympolitiae repugnare, supra (p. 31 sq.) pluribus docui.

Vidimus etiam (id quod gravissimum est) Ceorum urbes separatim ad alteram societatem maritimam accessisse, in foederis autem illius condicionibus diserte constitutum fuisse καὶ πολιτεύεσθαι [Κεῖου]ς κατὰ πόλεις κατὰ τοὺς ὅρκους καὶ τὰς συνθήκας: quae verba manifesto probant eum rerum statum non semper fuisse (p. 35 sq.).

Restat testimonium et quidem gravissimum, lapis ille, quem Marmor Sandwicense appellare consuevimus (n. 125). In tabula illa, de qua infra (§ 5) uberius dicam, primo loco perscriptae sunt usurae pecuniarum, quae diversis civitatibus

1) Broendsted l. l. I. p. 72 not. 8.

mutuae datae erant. Et in antica et in postica tabulae illius partibus perscripti sunt universi Cei (Κεῖοι), non singulae urbes. Sed cave credas id brevitatis causa factum esse: Oenoe enim et Thermae, duae urbes in insula Icaro sitae, separatim in tabula illa nominantur. Neque tituli aetas (377—373) sententiae meae repugnare videtur, cum aes illud alienum perbene iam pridem contractum esse possit (p. 36).

Pertinet ad ea tempora etiam Lysiae oratoris testimoniam: οἱ Κεῖοι μὲν πόλις τοσαύτη [1]), ad quae verba Boeckh rectissime adnotavit: „bei ihm (sc. Lysias) muss πόλις den politischen Begriff haben, und er sieht also Keos als eine engverbundene Einheit an."

Ex omnibus quae attuli documentis colligo Cei insulae urbes sympolitia coniunctas fuisse atque omnes res externas communiter administrasse [2]). Summam reipublicae penes populum et senatum fuisse consentaneum est, sed nolo ex aliarum civitatum exemplis singula restituere. Itaque ea tantum enumerabo, quae ex titulis illis efficere possumus. Ac primum quidem belli, pacis, foederum ius et arbitrium penes Ceorum populum fuisse ex Herodoto colligo; decernebat etiam populus de apparando bello atque de exercitu navibusque instruendis. Deinde communiter tributa, quae iis ab Atheniensibus imposita erant, pendebant atque deficiente aerario item communiter pecunias mutuas sumebant. Mitto, sicut dixi, reliqua, quae a Ceis communiter administrata esse verisimile est.

Priusquam de IV a. Chr. saec. dicam, breviter consideremus alteram Ceorum sympolitiam, quae potius κοινόν appellari potest. Habemus enim quattuor titulos qui ad hoc κοινόν referendi sunt (n. 21—23 et n. 77). De titulis illis cum supra p. 49 sq. pluribus disputatum sit, ea tantum adferam, quae huc pertinent. Apparet enim ex titulo

---

1) cf. Harpocr. s. v. *Κεῖοι*, Boeckh, kl. Schr. VII p. 352 atque C. I. G. II p. 281.

2) cf. etiam Amorgum, ubi urbes Minoa, Arcesine, Aegiale s. V et IV similiter sympolitia coniunctae erant. cf. Gilbert, Staatsalt. II p. 208.

n. 23 (v. 1 et imprimis v. 6)[1] Cei insulae urbes senatum comitiaque habuisse communia: itaque senatus populusque temporibus illis per ψηφίσματα omnes haud dubie res ad rempublicam administrandam pertinentes curabat. Ex titulis haec colligere possumus: universi Cei communiter foedera cum aliis civitatibus faciebant, legatos in contionibus creabant atque ad alias civitates mittebant itemque legatos ab exteris missos in senatu comitiisque excipiebant[2], postremo etiam varios honores tribuebant, sicut πολιτείαν ἐγ Κέῳ καὶ γῆς καὶ οἰκίας ἔγκτησιν, καὶ τῶν ἄλλων μετέχειν αὐτοὺς πάντων ὧμπερ καὶ Κεῖοι μετέχουσι n. 23 v. 7 sq. Ceterum ex verbis πολιτείαν ἐγ Κέῳ colligere possumus civitatem Ceis fuisse communem. De nummis ad κοινόν illud pertinentibus supra p. 45 uberius disputavi.

De rebus externis, quomodo sympolitiarum temporibus administratae sint, satis dictum esse arbitror. Cei insulae urbes temporibus illis in rebus domesticis sui iuris fuisse supra dixi; quibus de rebus ex titulis (propter exiguum eorum numerum) nihil fere colligere possumus. Duo praesertim exstant tituli (n. 34 Julietarum lex funebris et n. 69 Poiessiorum lex de fundorum publicorum locatione), ex quibus apparet, urbes illas res suas domesticas variis legibus administrasse; sed de legibus illis infra uberius disputandum erit.

Jam vero videamus, quae fuerit IV a. Chr. saec. in singulis Cei insulae oppidis senatus populique in rebus et externis et domesticis administrandis ratio et condicio. Sympolitiam illam, quam diximus primam, IV a. Chr. saec. dissolutam esse supra vidimus (p. 34 sq.). Invenitur sane quidem interdum in h. aet. titulis nomen Κεῖοι[3]), sed id brevitatis causa factum esse censeo; nulla enim societatis cuiusdam vestigia exstant. Illis vero temporibus Cei insulae urbes in om-

---

1) n. 23 v. 6 *δεδόχθαι Κείων τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ*, v. 1 *ἔδοξεν τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ* . .

2) cf. etiam Poiessiorum tit. n. 72 B.

3) cf. n. 129, n. 127, sed in eodem titulo n. 127 Cei insulae urbes omnino sui iuris sunt.

nibus rebus, et externis et domesticis, omnino sui iuris fuerunt; sed cum singularum urbium instituta fere essent eadem neque titulorum numerus — etsi maxima eorum pars ad illa tempora referenda est — sufficiat ad uniuscuiusque urbis instituta separatim tractanda, coniunctim illa quidem explicabo, quae vero in singulis urbibus diversa sunt, ea suo loco adnotabo.

Universi populi contio, sicut alibi, ἐκκλησία appellabatur; quod cum per se probabile sit, tum comprobatur etiam Julietarum titulo n. 34, quem supra attuli [1]). Non omnia ea enumerabo, quae populus, sicut in aliis civitatibus, haud dubie administrabat, sed ea sola, quae e titulis colligere possumus. Ac primum quidem populus in contionibus magistratus suos creabat: quod apparet ex duobus titulis [2]), de quibus infra (§ 3) uberius dicendum erit. Deinde leges aut sanciendi aut repudiandi potestas penes populum erat. Praeter duas illas Julietarum Poiessiorumque leges, quas supra attuli, hae leges nobis servatae sunt: Coresiorum lex de die quodam festo sollemniter celebrando (n. 66), Carthaeensium lex de fontium curatione (n. 15), Julietarum leges de pecuniarum ab hominibus privatis Apollini dono datarum administratione (n. 37 et 38), Coresiorum Julietarum Carthaeensium atque haud dubie etiam Poiessiorum leges de rubrica exportanda (n. 128). Attuli modo Julietarum leges de pecuniis Apollini dono datis administrandis. Sed non modo sacri aerarii, sed etiam totius templi administrationis summa in insulae urbibus certe penes populum erat, qui ad singulas res gerendas ἱεροποιούς eligebat (n. 37 et 38). Etiam templa nisi populi iussu deis non esse consecrata colligo ex tit. n. 9. Praeterea populus etiam vectigalia constituebat, quod apparet ex titulis Coresiorum (n. 66 v. 10 sq. et n. 128), Carthaeensium (n. 14), Julietarum (n. 37) [3]).

Sed non solum res domesticae, verum etiam omnes res externae ad contionis arbitrium pertinebant. Ac primum qui-

---

1) n. 34 c [ἔδ]οξεν τῇ βουλῇ καὶ τῇ ἐκκλ[ησίᾳ].

2) n. 66 v. 21: *αἱρεῖσθαι δὲ καὶ γυμνασίαρχον ἅμα ταῖς ἄλλαις ἀρχαῖς*; n. 38 v. 15 *τοὺς αἱρεθέντας* et v. 17 *ἄρξω τὴ[ν ἀρχ]ὴν [ἣ]ν ᾕρημαι.*

3) cf. etiam Poiessiorum tit. n. 69 (V s.) et n. 72 (III s.)

dem belli, pacis, foederum ius et arbitrium penes populum erat. Cei insulae urbes separatim alteri Atheniensium societati maritimae se applicaverunt (n. 126), post defectionem a. 363 novum foedus durioribus quam antea condicionibus fecerunt atque iure iurando confirmaverunt (n. 127), eodem anno cum Atheniensibus pepigerunt de rubrica nisi Athenas non exportanda (n. 128) atque non ita multo post item de rubrica (n. 129). Deinde populus etiam legatos et suos mittebat (n. 11 et 13) et sine dubio etiam alienos audiebat; in Carthaeensium tit. n. 11 commemorantur οἱ σύνδικοι οἱ ἀποσταλέντες ὑπὸ τῆς πόλεως ἐπὶ τὰς δίκας.

Postremo populus etiam praemia et honores viris bene de re publica meritis dabat, quae quidem non alia erant atque in aliis civitatibus: collaudatio, pronuntiatio coronae aureae per praeconem Dionysiis facta[1]), πολιτεία, γῆς καὶ οἴκου vel οἰκίας ἔγκτησις, εἴσπλους καὶ ἔκπλους ἀσυλεὶ καὶ ἀσπονδεὶ καὶ ἐν εἰρήνῃ καὶ ἐν πολέμῳ, ἀτέλεια, πρόσοδος πρὸς τὴν βουλὴν καὶ τὸν δῆμον πρώτοις μετὰ τὰ ἱερά, εὐεργέτου nomen, προξενία. De singulis honoribus praemiisque non est quod plura dicam: sunt enim notissima. Sed de proxenia sola paulo uberius disputemus.

Habemus enim praeter complures titulos — imprimis Carthaeenses — ubi proxenia peregrinis decernitur, etiam (Carthaeensium haud dubie) proxenorum catalogum, qui ab Ulr. Koehlero, viro doctissimo atque Cei insulae rerum sane peritissimo, editus atque commentario luculentissimo instructus est (n. 10). De proxenorum catalogis nuper egerunt Latyschev, Koehler, Monceaux[2]). Catalogorum illorum varia erant genera, quae Koehler, Latyschevium secutus, optime sic defi-

1) e. g. Carthaeae (n. 12): *στεφανῶσαι δὲ καὶ χρυσῷ στεφάνῳ καὶ ἀνα[γορεῦσ]αι τὸν στέφανον Διονυσίοις τῷ ἀγῶνι.* Similiter in ceteris decretis. Julietarum decretum n. 47 solum haec verba exhibet: *ἀναγορεύεσθαι δὲ [τὸν] στέφανον κατ' ἐνιαυτὸν ὑπὸ τ[ὰ] Διονύσια τῷ ἀγῶνι τῶν τραγῳδῶν.*

2) Latyschev: Bull. de. cor. hell. VI (1882) p. 580 sq.; Koehler, Mitth. d. Inst. IX (1884) p. 271 sq. et not. 2; Monceaux: Les proxénies grecques, Paris 1885 p. 50 sq. et p. 195.

nivit: „Derselbe (sc. Latyschev) hat nachgewiesen, dass diese Listen in zwei Classen zerfallen: in solche, in denen die Namen der von der Stadt, welche die Liste publicirt hat, im Auslande ernannten Proxenen registrirt sind; und in solche, welche die Namen von Bürgern der publicirenden Stadt selbst, denen von Städten des Auslandes die Proxenie übertragen wär, enthalten. Die Inschrift von Keos gehört zu der ersten Classe. In der Anordnung unterscheiden sich die Proxenenlisten, je nachdem die Zeitfolge der Verleihung zu Grunde liegt oder die geographische Zusammengehörigkeit, wie dies in der Inschrift von Keos der Fall ist.“ „Le but de ces listes“, inquit Latyschev (l. l. p. 587), „était sans doute de donner aux citoyens qui partaient la facilité d' apprendre quels étaient, dans chaque ville, ceux à qui ils pouvaient demander protection et appui. Au contraire, la liste de Narthakion servait aux étrangers qui y venaient, à apprendre le nom de leur proxéne.“ Monceaux, qui l. l. proxenorum decreta omnium civitatum Graecarum examinavit, p. 195 recte animadvertit: „L'habitude de graver et d'afficher les listes de tous les représentants de l'Etat paraît avoir étè générale dans les Cyclades. C'étaient tantôt des catalogues proprement dits, tantôt une série de décrets resumés.“ Cave credas etiam inter Cei insulae decreta exstare titulum, qui ad illam „série de décrets résumés“ pertineat. Poiessiorum enim tit. n. 71 sane continet tria decreta, sed illa minime eodem tempore lapidi incisa sunt: sunt enim a diversis manibus profecta atque litterarum formae minime inter se congruunt. Primum decretum litteris grandibus atque accuratis insculptum, secundum minoribus litteris scriptum, tertium denique rursus maioribus litteris neque iis ex ordine dispositis incisum; porro in primo decreto exstat ψ, in secundo Ψ, in primo atque secundo A, in tertio A. Itaque cum decreta illa neque eodem tempore neque ab eodem homine incisa sint, titulus ille minime ad illam „série de décrets résumés“ referendus est. Parcebant ergo Poiessii aerario (quod ex titulo colligere possumus) propter angustias sane pecuniae publicae, atque complura proxeniae decreta in una tabula exarabant. Porro etiam concludere

possumus Poiessios minime nimios fuisse in proxenia decernenda, cum litterarum formae sint tam diversae.

Sed iam ad Carthaeensium unicum adhuc Cei insulae proxenorum catalogum revertamur. Continet ille, sicut dixi, nomina civium peregrinorum, quibus a Carthaeensibus proxenia decreta erat, atque servato terrarum urbiumque ordine compositus est. At vero lapis ille a partibus sinistra et inferiore fractus est, et quidem a sinistra dimidia lapidis pars deest; perierunt ergo permulta oppidum nomina. Fragmentum continet oppida sita in Euboea, in Peloponneso, in Graecia, quae dicitur, media, in Cycladibus, porro urbes Hellesponto atque Propontidi adiacentes. Lapis, ut dixi, etiam ab inferiore parte fractus est; continebat illa pars haud dubie urbes in Macedonia, Thracia, Asiaque Minore sitas. Valde dolendum est, quod tot proxenorum nomina perierunt. Tamen haud ab re esse duco Cei insulae proxenorum catalogum, quoad ex fragmento illo atque ceteris Ceorum decretis restitui potest, hic adiungere, ut Ceorum cum aliis civitatibus necessitudines aliqua ex parte saltem patefiant [1]).

1) Proxeni in Euboea: Καρύστιοι (n. 13, v. 4—6) [2]), Ἐρετριεύς (n. 10), Χαλκι[δεύς (n. 10 v. 10).

2) In Peloponneso: Κορίνθιος (n. 10, v. 14), Ἁλιεύς (n. 17), Ἐ]πιδαύριοι (n. 10 v. 15, 16) Λακε]δαιμόνιο[ς (n. 10 v. 18), Πελλανεὺς ἐ[κ τῆς Λακωνικῆς (n. 10 v. 20), Κυφ]αντασ[εύς (n. 10 v. 21) [3]), Ἐπιδ]αύριος ἐκ τ[ῆς] Λακ[ωνικῆς (n. 10 v. 22), Αἰγινήτης (n. 10 v. 24).

3) In Graecia quae dicitur media: Λεπαδεύς (n. 10 v. 25) [4]), Κνίδιος (n. 10 v. 26) [5]), Θ]ηβαῖος (n. 10 v. 27),

1) Proxenorum nomina hic non adferam, cum maximam partem adeo mutilata sint, ut praeter nonnullas litteras nihil fere constet.

2) Ubi titulos simpliciter adfero, semper Carthaeensium proxenos intellego.

3) cf. Koehler, Mitth. l. l. p. 274.

4) *Λεπαδεύς* = *Λεβαδεύς* cf. Wescher-Foucart, Inscr. de Delphes n. 18 v. 167; Köhler, Mitth. l. l. p. 274.

5) Köhler (l. l. p. 276) illum hominem eo tempore, quo proxenia ei decreta esset, in Boeotia vixisse putat „als ständiger Metök oder vorübergehend als *παρεπιδημῶν*."

M[ηλιεύς (n. 10 v. 30)[1], Λαρ]ισαῖος ἐκ Φθ[ιώτιδος (n. 10 v. 32), ἐξ Ἡρ]ακλείας τῆς [Τραχινίας (n. 10 v. 33), Ἀθηναῖοι (n. 10 v. 36 sq. et n. 11), Ἁ[λ]αιεύ[ς (n. 10 v. 42)[2].

4) **In Macedonia**: Μακεδών (Poiessiorum tit. n. 71).

5) **In Thracia**: Μαρ]ωνίτης (n. 10 frg. b. v. 2).

6) **In regionibus Hellesponto atque Propontidi adiacentibus**: Τενέ]διοι (n. 10, v. 50, 51, 52), Κυζικηνοί (n. 10 v. 54, 55), Προκον[νήσιος (n. 10 v. 57), Κιανοί (n. 10 v. 58).

7) **In Asia Minore atque insulis ei adiacentibus**: Ῥόδιος (n. 19), Ῥόδιος (Julietarum tit. n. 47).

8) **In Cycladibus**: Ἄνδριοι (n. 10 v. 44 atque frg. b, v. 6), Τήνιος (n. 10 v. 45), Σύριοι (n. 10 v. 46), Σε]ρίφ[ι]ος (n. 10 v. 48), Δήλιος (n. 10 v. 49).

---

1) Fabricius ΜΙΛ, Köhler: schwache Spuren hiervon scheinen auf dem einen Abklatsch zu Tage zu treten; dies würde auf *Μιλ[ήσιος* führen." Vidimus supra (p. 76 not. 5), quomodo Cnidius ille in Boeotiorum numerum pervenerit, sed neque illud *Μιλ[ήσιος*, neque postea v. 42 *Α[ἰγ]αιεύς* (pace praeceptoris carissimi dixerim) recte restituta esse puto. Persuadere enim mihi non possum, illud quod p. 76 not. 5 exposui, plerumque in hoc catalogo accidisse; si vero *Μ[ηλιεύς* scribimus, terrarum urbiumque ordo optime servatur. *Μηλιεύς* = *Μαλιεύς* et de tota regione et de urbe dici potest. cf. Steph. Byz. s. v. *Μαλιεύς, πόλις ἐπώνυμος τῶν Μαλιέων — ὁ πολίτης Μαλιεύς — Ἀνδροτίων πέμπτῳ*. De forma *Μηλιεύς* cf. Pape — Benseler s. v. Cf. in catalogo militum C. J. A. II n. 968 *Μαλιεῖς*.

2) *Α . αιεύς*, Köhler *Α[ἰγ]αιεύς* scribit et sive Achaeorum urbem sive illam, quae in Euboea sita est, intellegit. De sententia illa dixi not. 1. Mihi *Ἁλαιεύς* scribendum videtur (demum Atticum *Ἁλαί* intellego) nam et antea et (mea quidem sententia) postea Athenienses nominantur. *Ἀριστοφῶν* ille *Ἀριστοφάνου* atque frater eius haud dubie etiam Athenienses erant. Quod hic demus Atticus exstat, in eo offendendum non est. cf. C. J. G. II n. 2144 b (Eretria) *ἐπειδὴ Φανοκλῆς Φανιάδου Πτελεάσιος ἀνὴρ ἀγαθός ἐστιν — πρόξενον* etc. Boeckh: „Pteleasius hic est Atheniensis ex pago cognominatus, quod quamquam fieri non solet in civitatibus ab Attica republica separatis, tamen in tanta Eretriae et Atticae vicinitate ferri potest, etiamsi tum Eretria non ab Atheniensibus possessa fuerit." In insula Ceo Atticae proxima atque Atheniensium imperio subiecta, in eo minime offendendum est.

9) Proxeni originis incertae: (n. 10 passim et n. 12).

Ne quid praetermittam, adferam etiam illos titulos, in quibus Ceorum civibus proxenia ab aliis civitatibus decernitur: a Deliis (n. 133. 134) a Delphis (n. 136. 137), ab Atheniensibus (n. 127 v. 39 et fortasse n. 130).

Koehler ad Carthaeensium catalogum (l. l. p. 278) haec adnotavit: „während die athenischen Proxenieverleihungen stetige, sorgsam gepflegte Beziehungen und gewisse leitende politische Gesichtspunkte erkennen lassen, trägt die karthaeische Liste mehr einen zufälligen, durch äussere Umstände bedingten Charakter. Hiervon machen nur die Verzeichnisse der von den Karthaiern in Athen und in den Städten an der Seestrasse nach dem pontischen Handelsgebiet ernannten Proxenen eine Ausnahme". At vero praeceptori carissimo assentiri non possum. Apparet quidem, si catalogum eum accuratius examinamus, Ceorum civitates non reipublicae rationibus commotas proxenos illos nominasse. Sed quaero, quaenam illae Ceorum rationes publicae esse potuerint, cum Cei semper fere aliis civitatibus paruerint. Immo vero Cei, sicut aliae Cyclades civitatesque maritimae, proxenos commercii causa creabant, id quod optime catalogo ipso confirmatur. III quidem a. Chr. saec., ubi Cyclades modo Aegyptiorum modo Macedonum regibus parebant, Poiessii Macedonem quendam (n. 71), Carthaeenses Ptolemaei centurionem (n. 17) proxenos creaverunt, sed neque hae exceptiones legem a nobis constitutam labefactare possunt, et haec decreta etiam ad commercii commoda referre possumus.

Restat, ut pauca dicam de variis honoribus et privilegiis cum proxenia coniunctis. Honores illi omnes enumerantur in Carthaeensium titulo n. 12: ἐπαινέσαι μὲν — [στεφανῶσαι δὲ καὶ χρυσῷ στεφάνῳ καὶ ἀναγορεῦσ]αι τὸν στέφανον Διονυσίοις τῷ ἀγῶνι. [Εἶναι δὲ αὐτοὺς καὶ προξένους τῆς πόλεως τ]ῆς Καρθαιέων καὶ τοὺς ἐκγόνους αὐτῶν, [καὶ γῆς αὐτοῖς ἔγκτησιν καὶ οἰκίας εἶναι, καὶ] αὐτοῖς πάντα δ[εδόσθαι] ὅσαπερ καὶ τοῖς ἄλ[λοις προξένοις, καὶ εἴσπλουν καὶ ἔκπλουν ἀσυλεὶ καὶ ἀσπ]ονδεὶ καὶ ἐν εἰρήνῃ καὶ ἐν πο-

λέμῳ [καὶ πρόσοδον πρὸς τὴν βουλὴν καὶ τὸν δῆμον πρώτοις μετ]ὰ τὰ ἱερά. In Poiessiorum titulo n. 71 v. 17 una cum proxenia πολιτεία decernitur. Boeckhii sententiam qui πολιτείαν una cum proxenia, nisi in Joniae oppidis, decretam esse negavit, falsam esse optime docuerunt Meier et Monceaux[1]). Monceaux totius quaestionis summam recte sic definivit: „Le fait se présente assez rarement dans les constitutions doriennes, assez souvent dans les constitutions éoliennes, presque toujours dans les constitutions ioniennes.“ Sed πολιτεία illa non semper una cum proxenia concedebatur: in Carthaeensium tit. n. 11 proxenus Atticus, qui legatos syndicosque Carthaeensium hospitaliter exceperat atque adiuverat, civitate donatur. Exemplum decreti, sicut in aliis Cycladibus, mittebatur ad civitatem cuius ille civis erat, signatum signo civitatis, cf. n. 47 ὅπως δὲ καὶ ὁ δῆμος ὁ Ῥοδίων ἐπιγνῷ τὰς γεγενημένας τιμὰς Χαρμίππῳ συνθέτωσαν οἱ πρυτάνεις τῷ εἰρημένῳ ἀνδρὶ Θευφανεῖ τὸ ψήφισμα σφραγισάμενοι τῇ δημοσίᾳ σφραγῖδι.

Haec habui de populi decretis quae dicerem. Quae decreta, ut rata essent, a senatu prius sancirentur necesse erat. Senatus in Cei insulae urbibus qualis quotve fuerit virorum ignoramus. Senatores in annum tantum creatos fuisse colligo ex Coresiorum titulo de anniversario quodam die festo sollemniter celebrando (n. 66); legimus ibidem v. 34 τοὺς προβούλους τοὺς ἐξιόντας et v. 37 τοὺς προβούλους τοὺς ἀεὶ ὄντας. Jam vero quaerendum est, qui fuerint illi πρόβουλοι. Munia senatus ut Athenis sic etiam in ceteris civitatibus Graecis non omnes senatores una exsecutos esse, sed ubique praesides βουλῆς fuisse, quis est quin sciat. Id aliarum civitatum exemplis fretus etiam de Cei insulae urbibus adfirmaverim, etiamsi nihil de hac re traditum sit. De Carthaea sane atque Poiessa nihil ex titulis discimus. In Coresiorum autem titulo quem supra attuli saepissime commemorantur πρόβουλοι. Boeckh, qui primus titulum illum edidit, haec adnotavit: πρόβουλοι „sunt haud dubie praesides

1) Meier: comm. de proxenia, Halis 1842 p. 22 sq. Monceaux, l. l. p. 58 sq., p. 100 sq.

βουλῆς, Athenis prytanes"; Rangabé et Gilbert (Stalt. II p. 204) Boeckhium secuti sunt. Quae Dittenbergeri sit sententia, dici non potest, cum ille sicut alios tituli eius locos satis obscuros, etiam προβούλους illos omnino non attigerit. Ultimus de hac re egit Swoboda[1]: „dass sie Magistrate waren, schliesse ich nicht bloss aus den Functionen, die sie hier ausüben, sondern speciell aus dem Passus z. 33 sq."; ceterum cave credas Swobodam dixisse, fuisse προβούλους illos magistratus, nam cf. p. 87 sq.: „Der Vorstand des Rathes ist nicht immer, wie in Athen, eine wechselnde Abtheilung dieser Körperschaft, ein Ausschuss aus ihrer Mitte, sondern — ein für ein volles oder für ein halbes Jahr bestelltes Magistratscollegium, dessen Befugnisse sich freilich ausschliesslich oder zum grössten Theile auf die Leitung des Rathes concentrierten." At vero πρόβουλοι isti qui fuerint, ut perspiciamus, necesse est ea diligenter perpendamus, quae de probulis in eo titulo tradita sunt. Sollemne illud, de quo ibi agitur, in duas partes divisum erat: 1) sacrificia et cena, 2) ludi. Quae partes ut rite agantur, πρόβουλοι iubentur 1) sacrificia cenamque publico sumptu perficiendi negotium redemptori (ἐγλαβόντι) adiudicare atque una cum quaestore et praecone δοκιμάζειν τὰ ἱερεῖα καὶ ἀφίστασθαι τὰ κρέα κα[ὶ τ]ῶν ἱερῶν προΐστασθαι 2) ludos facere victoribusque praemia distribuere. Deinde v. 33 sq. praescriptum est τὰ δὲ ὅπλα παρασκευάζειν (sc. ad ludos)τοὺς προβούλους τοὺς ἐξιόντας καὶ παραδιδόναι τοῖς ἐφισταμένοις (sc. iis qui ludis praesunt (cf. infra § 3)[2]) et v. 36 sq. καταλείπειν δὲ καὶ καταπάλτην τοὺς προβούλους τοὺς ἀεὶ ὄντας καὶ βέλη τριακόσια, ἄχρις ἂν ἐπίκαιρον δοκῇ εἶναι τῇ βουλῇ[3]). Jam vero quaerendum est, num verisimile

1) Swoboda, griech. Volksbeschl., Lips. 1890 p. 91.

2) Falso igitur Rangabé vertit: et les remettent à ceux qui entrent en fonctions.

3) Verba illa sunt satis obscura. Dittenberger similiter atque de ἐφισταμένοις etiam de hoc loco nihil omnino dixit. U. Koehler, praeceptor carissimus, haec mihi scripsit: „Die Clausel ist etwas dunkel; ich verstehe sie so, dass wenn einmal eine grössere Zahl

sit βουλῆς praesides ea esse exsecutos, quae eis verbis πρόβουλοι perficere iubentur. Sane quidem, nam etiam de Atheniensium senatu idem constat, cf. enim Atheniensium titulum C. J. A. II 114 (= Ditt. Syll. n. 333), ubi „curaverat senatus, ut ludi scaenici quam splendidissimo apparatu fierent et theatrum quam pulcherrime exornaretur.“ Senatus quomodo ea exsequeretur, accuratius definivit R. Schoell[1]: „In den als ἱεροποιοί bezeichneten Opfer- und Festvorstehern.... haben wir nicht ein ständiges Collegium zu erkennen, sondern besondere eigens für jedes Fest bestellte Ausschüsse. In der Regel wurden dieselben vom Rath, dem zunächst berufenen Verwaltungsorgan, aus seiner Mitte niedergesetzt, durch Wahl oder Loos, aus allen Phylen oder aus der prytanierenden“ [2]). Non recte igitur Swoboda προβούλους magistratus fuisse contendit; quae autem p. 87 sq. de „Rathsvorstand als Magistrat“ disputavit, ea minime comprobari possunt [3]). Ergo recte Boeckh et Rangabé προβούλους praesides βουλῆς fuisse docuerunt [4]), sed non recte, mea quidem sententia, illi Atheniensium prytanibus respondisse eis visi sunt. Athenis enim senatus tributim divisus erat in decem partes, quae vicissim per decimam anni partem omnia negotia administrabant. Apud Coresios autem eosdem praesides per totum annum senatui praesedisse puto, quod colligo ex v. 34 sq. τὰ δὲ ὅπλα παρασκευάζειν τοὺς προβούλους τοὺς ἐξιόντας etc. Deinde Athenis singulae tribus vicissim altera alteram excipiebant — Coresii autem, cum praesides annui essent, ex unaquaque tribu mea quidem sententia vel unum vel aliquot senatores elige-

---

von Katapulten im Arsenal vorräthig war, die Vorschrift an die πρόβουλοι hinfällig wurde, genauer gesagt als hinfällig angesehen werden konnte.“ Quae Koehleri interpretatio mihi quidem satis verisimilis videtur.

1) Sitzber. d. bayer. Acad. 1887 I p. 9 sq.

2) cf. (Xen.) de rep. Athen. III 2; Heydemann, De senatu Atheniensium p. 49 et 50 (Diss. Argent. IV (1880) p. 195 et 196) qui uberius de hac re egit.

3) cf. etiam Schoeffer, Berl. Philol. Woch. XI (1891) p. 1042.

4) cf. Aristot. Polit. VI p. 1299 b 36 sq. οἱ πρόβουλοι καθεστᾶσιν ἐπὶ τοῖς βουλευταῖς.

bant, qui una senatui praesiderent. Cum Coresiorum illis probulis, quales equidem eos fuisse existimo, optime comparari possunt Eretriensium πρόβουλοι [1]) et Jasensium πρυτάνεις [2]). Vidimus igitur Coresiorum probulos per totum annum senatui praesedisse atque collegium eorum aliter fuisse compositum atque Athenis; sed munia eorum eadem fuisse atque Athenis prytanum, minime nego. Probuli cum essent annui, ex se intellegitur, eos non ad unaquaeque sollemnia perficienda proprie esse electos, sed sollemnia perficiendi curam semper ad eorum pertinuisse munia. Julide praesides illos πρυτάνεις dictos fuisse discimus ex tit. n. 47. Gilbert, qui veterem Ephem. Arch. omnino neglexit, sane etiam πρυτάνεις illos ignorat; quos autem attulit προστάτας [3]), ii minime cum Atheniensium prytanibus comparari possunt. Causae, cur hoc contendam, hae sunt: 1) πρυτάνεις illi certe erant praesides, quod cum ex illa inscriptione, tum ex magna Cei insulae cum Atheniensium rerum publicarum adfinitate efficitur; praesides illos autem Julide modo πρυτάνεις modo προστάτας appellatos fuisse nemo est quin neget; ergo προστάται illi aliter explicandi sunt, 2) in tit. n. 128, ubi v. 37 προστάται Julietarum exstant, in Coresiorum decreto v. 16 sq. ἔνδειξις fit πρὸς τοὺς ἀστυνόμους, Athenis ad undecimviros atque thesmothetas [4]), ergo etiam Julietarum προστάται haud dubie in magistratuum numero habendi sunt [5]), 3) nemo adhuc, quod sciam, intellexit,

---

1) cf. Rangabé n. 689; Gilbert, Stalt. II p. 67 sq. not. 2.

2) cf. Hicks, Journ. of hell. stud. VIII (1887) p. 106; Swoboda, Gr. Volksbeschl. p. 72.

3) Gilbert, Stalt. II p. 203 et not. 4: „unter denen ich eine den athenischen Prytanen entsprechende Subcommission der βουλή verstehe C. J. A. II 546."

4) cf. Aristot. *Ἀθην. πολ.* 52, 1 *καὶ γὰρ ταύτας* (sc. *τὰς ἐνδείξεις*) *εἰσάγουσιν οἱ ἕνδεκα. εἰσάγουσι δὲ τῶν ἐνδείξεών τινας καὶ οἱ θεσμοθέται.*

5) Haec iam pridem scripta erant, cum Swobodae librum, qui „die griechischen Volksbeschlüsse" inscribitur, accepi. Quod Swoboda eandem sententiam protulit atque ego, gaudeo; cf. p. 93: „In Julis C. J. A. II 546 z. 36 waren sie judicielle Beamte." Julietarum *πρυτάνεις* Swoboda similiter atque Gilbert omnino ignorat, sed vetus illa Ephem. Swobodae non videtur praesto fuisse.

in civitatibus Jonicis verbo προστάται nusquam significari senatorum partem, quam dicimus „Rathsausschuss"; similiter προστάτης τῆς βουλῆς pro ἐπιστάτης nisi in civitatibus Doricis non invenitur. Non recte igitur Gilbert Julietarum προστάταις prytanum officia adscripsit. Julietarum ergo praesides πρυτάνεις appellabantur; sed fuerintne praesides illi annui, sicut apud Coresios, an vicissim senatus negotia administraverint, sicut Athenis, minime diiudicari potest. Similiter atque Julietas Coresiosque etiam Carthaeenses Poiessiosque βουλῆς praesides habuisse sine ulla dubitatione confirmaverim; sed nihil de hac re memoriae est traditum.

Sigillum publicum iis mandatum fuisse discimus ex titulo quem supra attuli; habebant porro prytanes sine dubio etiam claves aerarii: reliqua omnia ignoramus. Senaculum eorum, πρυτανεῖον appellabatur (n. 128 v. 6, 24, 34). Convivabantur de publico in πρυτανείῳ illo non solum prytanes, qui ibi cotidie cenabant, sed etiam alii et peregrini et cives bene de republica meriti, qui honoris causa invitati erant [1]). Additi erant senatoribus scriba (γραμματεὺς τῆς βουλῆς, sive simpliciter γραμματεύς), quaestor (ταμίας), praeco (κῆρυξ); de officiis eorum infra (§ 3) uberius dicendum erit. Munia senatus sicut Athenis erant τὸ προβουλεύειν atque rerum sibi mandatarum exsecutio [2]). Senatus praeterea etiam eas multas exigebat, quae in rei publicae aerarium cedebant, quod colligere possumus ex Julietarum tit. n. 40. Exacto anno sicut Athenis senatorum collegio universo honoris causa a populo coronam decretam esse sine ulla dubitatione adfirmaverim: nam id quod de magistratibus Ceorum constat etiam ad senatum referre non dubito.

Restat locus gravissimus de Cei insulae decretorum formis. De quibus cum Swoboda l. l. nuper uberius egerit, non necessarium censeo ea omnia pluribus verbis retractare; paucis igitur hanc quaestionem attingam eaque omnia adnotabo,

---

1) cf. n. 128 v. 24 *καλέσαι δὲ κ]αὶ ἐπὶ ξένια εἰς τὸ πρυτανεῖον τοὺς Ἀθηναίους εἰς αὔριον*; similiter v. 6 et 34.

2) Quae res cum sit notissima, exempla adferre omitto.

quae a Swoboda aut minus recte intellecta, aut omissa sunt. Incipiunt tituli a sanctionis formula ἔδοξεν τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ [1]). Swoboda p. 24 sq. et p. 33 sq. duo psephismatum genera distinguit, alterum antiquius, ubi praeter sanctionis formulam in praescriptionibus nihil exstet, alterum recentius, ubi etiam rogatoris nomen semper adiciatur. Sed hoc de Ceorum titulis minime contendi potest. Ex parvo illo Cei insulae psephismatum numero, quem nunc habemus (mihi paulo plura praesto sunt, quam Swobodae), rogatoris nomen ne in uno quidem neque Carthaeensium neque Coresiorum decreto deest, contra in omnibus Julietarum Poiessiorumque decretis omissum est. Swoboda Julietarum Poiessiorumque decreta omnia antiquioribus, Carthaeensium vero atque Coresiorum recentioribus temporibus adscribit, atque p. 26 not. 1 haec adnotat: „Es ist zuzugeben, dass wir sowohl für Julis als Poiessa zufällig auf keine späteren Beispiele hinweisen können; aber in den anderen keischen Städten, Karthaea und Koresos, die viel Aehnlichkeit mit den benachbarten Orten bieten, ist die jüngere Form mit ὁ δεῖνα εἶπεν nachzuweisen.“ At vero Poiessiorum tituli, quos ille attulit (n. 72; 71 v. 8 sq. et 14 sq.) ad recentiora tempora referendi sunt, porro autem nulla exstant exempla, ex quibus Swoboda demonstrare possit, Carthaeenses Coresiosque antiquioribus temporibus etiam rogatoris nomen omisisse. Restat denique argumentum gravissimum, quod Swobodae sententiam funditus evertit. Habemus enim titulum, quem saepe attuli n. 128, ubi in eodem lapide omnium Cei insulae urbium decreta incisa fuerunt; nulla igitur res melius aut Swobodae sententiam aut meam comprobare potest, quam hic titulus. Poiessiorum quidem decretum atque Carthaeensium praescriptio perierunt; sed in Coresiorum decreto exstat ὁ δεῖνα εἶπεν, in Julietarum decreto rogatoris nomen omissum est. Swoboda mirum in modum Julietarum illud decretum ad antiquiora tempora (p. 25), Coresiorum autem ad recentiora rettulit (p. 38). Quod me minime intelle-

1) Interdum huic formulae praemittitur θεοί (n. 10, 38, 69, 72, 84; cf. etiam n. 14).

gere posse libere confiteor. Mea quidem sententia ex illis, quos nunc habemus, titulis nihil aliud efficitur, nisi 1) propter parvum titulorum numerum nos hodie certum iudicium ferre non posse, sed 2) ex titulis confici, Carthaeenses atque Coresios rogatoris nomen semper adscripsisse, Julietas autem Poiessiosque rogatorem in decretis suis omnino neglexisse. Non alienum videtur commemorare, Carthaeenses atque Coresios rogatoris nomen semper ante sanctionis formulam perscripsisse, ut n. 11 Ἐσχατίων εἶπεν· ἔδοξεν τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ. Deinde in Ceorum titulis declaratur, cur decretum illud factum sit, velut ἐπειδὴ ὁ δεῖνα εὔνους ὢν τυγχάνει τῇ πόλει τῇ Καρθαιέων καὶ τῶν πολιτῶν τοῖς ἐντυγχάνουσιν χρείας παρέχεται χαρίζεσθαι βουλόμενος τῇ πόλει, παρεπιδεδήμηκέν τε ἐν τῇ πόλει εὐτάκτως καὶ καλῶς, δεδόχθαι etc. Sequuntur post haec verba semper fere δεδόχθαι τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ, bis tantum δεδόχθαι τῷ δήμῳ [1]) (n. 11 et 18), semel δεδόχθαι τῇ βουλῇ (n. 16) [2]), post verba δεδόχθαι etc. enumerantur varia praemia et honores, de quibus supra uberius dixi. Denique sub fine tituli decretum illud lapidi incidi atque proponi iubetur [3]) atque adicitur τὸ δὲ ἀνάλωμα δοῦναι τὸν ταμίαν; his verbis praemittitur interdum formula ἐὰν δὲ δόξει τόδε τὸ [ψήφισμα ἀναγράψαι etc. (n. 11 v. 15 sq.) vel ἂν δὲ δόξει ὁ νόμος, ἀναγράψαι etc. (n. 66) [4]). Duos habemus Julietarum titulos [5]), ex quibus colligere possumus, Ceos interdum etiam archontis nomen modo simpliciter, modo una cum mense ac fortasse etiam die sanctionis formulae praemisisse.

1) Swoboda p. 58 recte scribit: „nichts weiter als eine Abbreviatur des Ausdrucks."

2) Swoboda p. 278 ad verba *δεδόχθαι τῇ βουλῇ* adnotavit „Fehler", quod vereor ut illi possim concedere, nam titulus ille fortasse est decretum probuleumaticum; ceterum ex unico illo exemplo res sane diiudicari non potest.

3) Tituli proponebantur fere semper in Apollinis templo; n. 15 *πρὸς ταῖς κρήναις*, n. 128 v. 38 *ἐν τῷ λιμένι.*

4) cf. Swoboda p. 15 et 16 „Bescheidenheits-Formel."

5) Titulos illos infra edidi (n. 40 et 38). In Carthaeensium rationibus n. 14 Ab v. 35 sq. etiam semel occurrit *ἐπὶ ἄρχοντος Ἀλεξιτέλους* etc.

De legum formis non multum habeo quod dicam. Swoboda (p. 239 sq.) recte docuit, nihil interesse inter insulae psephismata et leges. Incipiunt leges a sanctionis formula ἔδοξε τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ[1]) (vel τῇ ἐκκλησίᾳ = n. 34 c), sequitur deinde lex ipsa, denique sub exitum lex illa lapidi incidi atque publice proponi iubetur. De locationis legibus infra uberius dicendum erit.

E Romana aetate nulla alia decreta habemus nisi honorifica, neque quisquam alius honoratur nisi principes eorumque familiae; quos singulos enumerare nolo, cum supra (Cap. II) uberius de iis dixerim.

3. De magistratibus.

Αἱρεῖσθαι δὲ καὶ γυμνασίαρχον ἅμα ταῖς ἄλλαις ἀρχαῖς μὴ νεώτερον τριάκοντα ἐτῶν (n. 66 v. 21) haec verba una cum iis, quae exstant in tit. n. 38 v. 5 et 17 τοὺς αἱρεθέντας et ἄρξω τὴ[ν ἀρχ]ὴν [ἣ]ν ᾕρημαι docent in insula Ceo magistratus non sorte electos, sed omnes in anniversariis ἀρχαιρεσίαις suffragiis creatos esse, id quod nuper Schoeffer[2]) etiam de Delo demonstravit. Ex iisdem illis verbis, quos primo loco attuli, praeterea etiam colligere possumus, Ceos sicut Athenienses magistratum inire non potuisse ante trigesimum aetatis annum; similiter haud dubie Cei neque senatores neque iudices fieri non poterant nisi trigesimo anno exacto.

Magistratus Ceorum cum munus inibant, sicut alibi iurabant in leges. Juris iurandi fragmentum nobis servatum est in Julietarum tit. n. 38 v. 15 sq.: τοὺς αἱρεθέντας.... ὀμό-

1) n. 34 a sanctionis formula deest, sed Köhler, Mitth. I (1876) p. 147 sq. optime docuit, non novam esse hanc legem, quae hic lapidi inscribi iubeatur, sed quae iam pridem lata sit; n. 34 b et c sunt leges additiciae.

2) Schoeffer, De Deli ins. reb. p. 130 sq.

σαι δὲ ἐμ Πυθίῳ.... ἄρξω τὴ[ν ἀρχ]ὴν [ἣ]ν ἥρημαι.... ὥ[ς] ἄ[ν δύνωμαι] ἄριστα καὶ κάλλ[ιστα....] ναὶ Δία, Ἀπό[λλ]ω, [Ἀθ]ηνα[ίην....

Neque illud videtur omittendum esse exacto anno, si magistratus munere cum laude functi viderentur, unicuique collegio universo honoris causa coronam a populo decretam esse; cf. n. 14 ubi singula magistratuum collegia una coronam deo dedicant, id quod Halbherr iure contra Boeckhium disputavit.

Unum restat, quod monere velim: apparet in insula Ceo magistratus sicut Athenis etiam ἡγεμονίαν δικαστηρίου habuisse in omnibus rebus, quae ad eorum munus pertinerent; quod colligere possumus ex iis, quae de Coresiorum astynomis Julietarumque prostatis tradita sunt (n. 128).

Magistratuum nomina perpauca ad nos pervenerunt, neque ex titulis ubique satis certe colligere possumus, quae fuerit singulorum magistratuum potestas; nihilominus etiam ea, quamvis sint pauca, accuratius explicanda sunt.

Principem inter magistratus locum obtinebat haud dubie archon[1]. Ἄρχων ille civitatis erat ἐπώνυμος, nam nomen eius interdum non solum in decretis sanctionis formulae praemittebatur, sed etiam in tabulis quaestorum usurpabatur ad doni cuiusdam tempus definiendum, velut ἐπὶ ἄρχοντος Ἀλεξιτέλους Ἀριστοπείθης Ἐρασικλείους χορηγήσας παισὶν εἰς Δῆλον στεφανωθεὶς ὑπὸ τοῦ δήμου χρυσῷ στεφάνῳ ἀνέθηκεν τὸν στέφανον τῷ Ἀπόλλωνι δραχμὰς ἑκατόν (n. 14 Ab v. 34 sq.) De archontis potestate nihil ex titulis eruere possumus, neque ex aliarum civitatum exemplis singula restituere conari attinet. Neque diiudicari potest, num archon similiter atque Athenis, Deli[2]) etc. sacrificiis ludisque praefuerit, verbi causa num n. 66 v. 34 sq. in τῶν ἐφισταμένων numero habendus sit. Ex Julietarum tit. n. 37 colligere possumus, archontem templorum administrandorum partem habuisse, sed etiam de illo munere dici nihil potest, cum titulus permutilus sit. Archon

1) Unum tantum fuisse archontem colligere possumus ex Carthaeensium tit. n. 14, ubi archon solus deo coronam offerre solet.

2) Schoeffer, De Deli ins. reb. p. 118 et 126.

ille quotannis creabatur; archontum nomina non multa ad nos pervenerunt[1]), neque eorum anni accuratius definiri possunt.

Paulo plura quam de archontibus scimus de strategis (στρατηγοί), quamquam etiam haec non ita multa sunt. Ac primum quidem στρατηγούς omni rei militari praefuisse, etsi ex titulis de his rebus nihil colligere possumus, non est quod pluribus moneam; possunt quidem eo referri verba, quae exstant in Coresiorum tit. n. 66 v. 38 sq., ubi de militum recensione agitur: μὴ ἐξεῖναι δὲ ἀποδόσθαι τὰ ἆθλα ἃ ἂν λάβῃ (sc. in ludis) τοὺς δὲ στρατηγοὺς ἐν τῇ ἐξοπλασίᾳ ἐξετάζειν, sed haec verba rei militaris administrationem minime nos edocere possunt. In eodem titulo v. 34 sq. probuli iubentur τὰ ὅπλα παρασκευάζειν καὶ παραδιδόναι τοῖς ἐφισταμένοις. U. Koehler in litteris ad me datis optime coniecit, in τῶν ἐφισταμένων numerum referendos esse etiam strategos, quod per se ipsum verisimillimum est. Atheniensium strategos sae-

---

1) Innotuerunt duodecim archontes, quos servato temporum et urbium ordine hic adferam.

I. Carthaeensium archontes.

1. V a. Chr. n. saec. exeunte.
   Θεοχύδης Ἀρισταίχμου (n. 2).
2. IV a. Chr. n. saec. exeunte.
   Πανтάγαθος (n. 14 Bb v. 15).
   Κτησιμένης (ibid. v. 16).
   Θεοχύδης (ibid. v. 17).
   Φίλων (ibid. v. 18).
   Καλλιμένης (ibid. v. 19).
   Καλλίππος (ibid. v. 20 et 21).
   Σώκριτος (ibid. v. 22).
   Δεινοκλῆς (n. 14 Aa v. 8 sq.).
   Κτ]ησίας Νικηράτου (ibid. v. 12 sq.).
   Ἀλεξιτέλης (n. 14 Ab v. 35).

II. Julietarum archontes.

Θεοφανίδης (n. 38).
Διοχύδης (n. 40).

Num Carthaeensium archontes inde a Panthagatho usque ad Socritum incl. alius alium deinceps exceperint pro certo quidem adfirmari non potest, etsi res non sine probabilitatis specie est.

pissime sacris ludisque praefuisse cum nemo sit, quin sciat, exempla adferre supervacaneum esse puto. Sed etiam in compluribus aliis civitatibus strategi ludis sacrisque praeerant, cf. Ditt. Syll. n. 156 v. 30 sq. (Ilii), n. 215 v. 28 sq. (Delphis), imprimis autem titulum Teium Ditt. Syll. n. 234 v. 12 sq. ἐννοεῖσθαι καθ' ἕκαστον ἔτος τοὺς τιμούχους καὶ τοὺς σ[τρατηγούς], ubi etiam senatui una cum strategis sollemnium quorundam cura mandatur. Multo maioris momenti ad strategorum potestatem recte cognoscendam est tit. n. 127. Discimus ex titulo illo, in insula Ceo strategos sicut Athenis permagnam habuisse auctoritatem in rebus externis. In quattuor legatorum numero, qui Athenas missi erant, enumerantur etiam duo στρατηγοί, fungebantur ergo strategi legationis officio [1]). Jubentur porro strategi, (quos Julide quinque fuisse ex titulo eo discimus), una cum Atheniensium magistratibus pecunias debitas exigere, v. 15 sq. συνεισπραττόντων δὲ αὐτοῖς [καὶ] οἱ στρατηγοὶ οἱ Ἰουλιητῶν Ἐχέτιμος καὶ Νικόλεω[ς κ]αὶ Σ[ά]τυρος καὶ Γλαύκων καὶ Ἡρακλείδης. Deinde v. 20 sq. τοὺς ὅρκους καὶ τὰς συνθήκας strategi lapidi incidere atque in templo Apollinis proponere iubentur: ἀναγράψαι τοὺς στρατηγ[οὺς] τοὺς [Ἰου]λιητῶν, οὓς εἴρηται ἐν τῷ ψηφίσματι συνεισπράττειν τὰ χρήματα, ἐν στήλῃ λιθίνῃ καὶ στῆσαι ἐν τῷ ἱερῷ τοῦ Ἀπόλλωνος τοῦ Πυθίου. Denique v. 44 sq. legimus: ἀπογράψαι δὲ αὐτῶν (sc. exsulum, quorum bona publicari iubentur) τὰ ὀνόματα αὐτί[κα μά]λα ἐναντίον τοῦ δήμου τῷ γραμματεῖ τοὺς στρατηγοὺ[ς τ]οὺ[ς] Ἰουλιητῶν τοὺς ἐπιδημοῦντας Ἀθήνησι. ἐὰν δέ [τινες τῶν] ἀπογραφέντων ἀμφισβητῶσι μὴ εἶναι τούτων τῶ[ν ἀνδρῶ]ν, ἐξεῖναι αὐτοῖς ἐγγυητὰς καταστήσασι πρὸς [τ]οὺ[ς] σ[τρ]ατηγοὺς τοὺς Ἰουλιητῶν τριάκοντα ἡμερῶν δίκα[ς] ὑ[π]ο[σχ]εῖν etc. Quae omnia, etsi non ita multa sunt, tamen aliquantulum demonstrare possunt, quomodo strategi rebus externis administrandis interfuerint. Quot fuerint στρατηγοί de Julide tantum Carthaeaque con-

1) cf. v. 44 sq. *τοὺς στρατηγοὺς τοὺς Ἰουλιητῶν τοὺς ἐπιδημοῦντας Ἀθήνησι*; ex vv. 52 et 16 sq. colligere possumus fuisse illos *Ἡρακλείδην* atque *Ἐχέτιμον*.

stat. Ac Julide quidem quinque fuisse strategos supra docui; Carthaeenses vero tres tantum habuisse strategos colligere possumus ex tit. n. 14, ubi semper tres enumerantur strategi, qui una coronam deo offerunt, velut Ab v. 18 sq. παρὰ στρατηγῶν Φερεκλείους, Θεοδώρου, Ἐτεάρχου τὸν στέφανον: H[1]).

Neque plura dici possunt de munere quaestorum. Inveniuntur in titulis nomina ταμίας et ταμίαι quae cave confundas. Ταμίαι enim illi sunt ταμίαι τῶν ἱερῶν χρημάτων, de quibus mox infra videbimus. Ταμίας contra, qui in permultis titulis exstat, est is, qui Athenis vocatur ταμίας τοῦ δήμου. Quaestoris illius munus definivit Aristoteles, Polit. VII (VI) 8 p. 1321 b 33 ἄλλη δ' ἀρχὴ πρὸς ἣν αἱ πρόσοδοι τῶν κοινῶν ἀναφέρονται, παρ' ὧν φυλαττόντων μερίζονται πρὸς ἑκάστην διοίκησιν. Administrabat ταμίας aerarium publicum, sed non multa de administratione illa ex titulis colligere possumus: in plurimis titulis iubetur ταμίας pecunias erogare ad titulos lapidibus incidendos, item in Julietarum tit. n. 47 ad coronam faciendam, in Coresiorum tit. n. 66 ad arma praeparanda (v. 35), in eodem decreto v. 15 ταμίας una cum probulis atque praecone iubetur δοκιμάζειν τὰ ἱερεῖα καὶ ἀφίστασθαι τὰ

1) Strategorum nomina haec servata sunt:

I. Julietarum *στρατηγοί*.

Ἐχέτιμος, *Νικόλεω[ς]*, *Σ(ά)τυρος*, *Γλαύκων*, *Ἡρακλείδης* (Ol. 104,2 = 363/2 a. Chr.) n. 127 v. 15 sq.

II. Carthaeensium *στρατηγοί*.

Ἀρχέβουλος, *Ἐρατοκλῆς*, *Καλλισθένης* (n. 14 Cb v. 36).
Σωκράτης, *Ἀρίστων*, *Νικίας* (n. 14 Aa v. 16 sq.).
.... *ξένης*, *Πολύστρατος* (n. 14 Ab v. 4 sq.).
Ἀριστοπείθης, *Θεοκλῆς*, *Εὐκτήμων* (ibid. v. 11 sq.).
Φερεκλῆς, *Θεόδωρος*, *Ἐτέαρχος* (ibid. v. 19 sq.).
Χάρης, *Φιλοκλῆς*, *Καλλίστρατος* (ibid. v. 30 sq.).

Omnes hi Carthaeensium *στρατηγοί*, quos servato temporum ordine enumeravi, ad finem IV a. Chr. saec. referendi sunt, sed ne unius quidem collegii annus definiri potest; n. 14 Ab v. 4 sq. duo tantum nominantur strategi, sed Halbherr recte animadvertit (p. 106 not. 6): „Pare che il terzo fosse mortuo prima di finir la carica senza essere stato sostituito."

χρέα κα[ὶ τ]ῶν ἱερῶν προίστασθαι atque omnes solvere pecunias ad diem festum rite celebrandum necessarias.

Ἄλλο δ' εἶδος ἐπιμελείας ἡ περὶ τοὺς θεούς, οἷον ἱερεῖς τε καὶ ἐπιμεληταὶ τῶν περὶ τὰ ἱερὰ τοῦ σώζεσθαί τε τὰ ὑπάρχοντα καὶ ἀνορθοῦσθαι τὰ πίπτοντα τῶν οἰκοδομημάτων καὶ τῶν ἄλλων ὅσα τέτακται πρὸς τοὺς θεούς. συμβαίνει δὲ τὴν ἐπιμέλειαν ταύτην ἐνιαχοῦ μὲν εἶναι μίαν, οἷον ἐν ταῖς μικραῖς πόλεσιν, ἐνιαχοῦ δὲ πολλὰς καὶ κεχωρισμένας τῆς ἱερωσύνης, οἷον ἱεροποιοὺς καὶ ναοφύλακας καὶ ταμίας τῶν ἱερῶν χρημάτων. Quibus Aristotelis [1]) verbis usi aptissime eos magistratus examinabimus, quibus ἐπιμέλεια illa περὶ τοὺς θεούς permissa erat.

Ac primo quidem loco Aristoteles adfert sacerdotes (ἱερεῖς). Dei in insula colebantur satis multi suumque quisque templum habebat (cf. infra § 5), ergo etiam suos habuisse sacerdotes manifestum est, sed nihil de hac re ex titulis discimus. Exstat quidem titulus (n. 84), ubi haec legimus: Θε]οί. Φιλετὼ Δεξικλέους θυγάτηρ ἱέρεια γενομένη Δήμητρι ἀνέθηκεν, sed nullum ex titulo illo fructum capere possumus, nisi in insula Ceo (id quod ex se intellegitur) etiam mulieres quibusdam praefuisse sacerdotiis. In Julietarum tit. n. 54 commemoratur ἀρχιερεύς, qui ἀρχιερεύς quem dicebant τῶν Σεβαστῶν fuisse videtur.

Deinde ab Aristotele l. l. enumerantur ἐπιμεληταὶ τῶν περὶ τὰ ἱερά inter eosque primo loco ἱεροποιοί. Exstant illi ἱεροποιοί in Julietarum tit. n. 37 [2]). Jubentur v. 11 sq. quaestores ἱεροποιοῖς pecunias erogare εἰς τὴν ἐπισ]κευὴν [3]) τῶν ἱερῶν καὶ τὴν θυσίαν etc. Hieropoeorum tria genera sunt distinguenda: 1) οἱ ἐπὶ τὰ ἐκθύματα καλούμενοι, 2) οἱ κατ'

1) cf. Aristot. Polit. VII (VI) 8 p. 1322 b.

2) De hieropoeis cf. Doermer, De Graec. sacrif. qui ἱεροποιοί dicuntur, Argent. 1883; Stengel, Iw. Müller's Hdb. V 3 p. 34 sq. Stengelium mirum in modum R. Schoellii de hieropoeis disputatio optima fugisse videtur cf. Schoell, Sitzber. d. bayer. Acad. 1887 I p. 1 sq. „Athenische Festcommissionen." Aristot. Ἀθην. πολ. 54, 6 sq.

3) Halbherr πρὸς τὴν κατασ]κευήν, sed cf. app. epigr.

ἐνιαυτὸν καλούμενοι, 3) (quos Aristoteles non adfert) templi cuiusdam aerariique sacri administratores. De hoc tertio genere praeter Schoellium nuperrime egit Schoeffer [1]), qui eorum munus sic definivit: „hieropoei templis thesaurisque custodiendis et restaurandis, pecuniis et rebus sacris administrandis, κιβωτῷ δημοσίᾳ servandae praepositi.“ Julietarum ἱεροποιοί, qui in titulo illo commemorantur, nulli generi prorsus respondent, nam et templi restauratio et sacrificia iis ibi deferuntur. Schoell de tertio genere ex nomine ipso iure coniecit, procurasse hieropoeos illos quondam praeterea etiam deorum sacrificia sollemniaque. Cei insulae ἱεροποιοί mihi quondam omnia illa tertii generis munia exsecuti esse videntur. Paulatim autem haud dubie satis multa munia amiserunt. Supra vidimus sollemniorum curam prytanibus (Coresi probulis) fuisse permissam (p. 80 sq.). Aerarium sacrum a ταμίαις τῶν ἱερῶν χρημάτων administrabatur, de quibus statim dicam: ex ipsis tituli verbis hoc colligere possumus, nam quaestores hieropoeis pecunias erogare iubentur. Aerarium publicum a quaestore publico (ταμίας τοῦ δήμου) administratum esse modo docui. Cum in titulo illo templi restauratio sacrificiaque iis sint delata, colligere possumus hieropoeis haud dubie nihil restitisse nisi templi custodiam et restaurationem, sacrificiaque quaedam. Quot fuerint ἱεροποιοί ignoramus, sed ex verbo ipso colligere possumus effecisse eos collegium. Creabantur ἱεροποιοί haud dubie in annum (κατ' ἐνιαυτόν), sicut in plurimis Graeciae civitatibus, sed fuerintne illi sorte an suffragio creati non constat; ex reliquorum Cei insulae magistratuum exemplo collegerim, suffragiis eos electos fuisse [2]). Qui deinde ab Aristotele l. l. adferuntur ναοφύλακες [3]) in Ceorum titulis non oc-

1) Schoell, l. l. p. 16 sq.; Schoeffer, De Deli ins. reb. p. 118 sq.

2) Idem constat de Atheniensium ἱεροποιοῖς, cf. Aristot. Ἀθην. πολ. l. l. et Schoell, l. l. p. 11, 3.

3) Aristot. Polit. l. l. enumerantur ἱεροποιοί, ν α ο φ ύ λ α κ ε ς, ταμίαι τῶν ἱερῶν χρημάτων, Aristot. Ἀθην. πολ. cap. 30 ταμίαι τῶν ἱερῶν χρημάτων, ἱεροποιοί, ἐ π ι μ ε λ η τ α ί, C. J. A. I 32 = Ditt. Syll. n. 14 v. 18 sq. ταμίαι, ἐ π ι σ τ ά τ α ι, ἱεροποιοί. Ἱεροποιοί illi atque ταμίαι τῶν ἱερῶν χρημάτων cum ubique sint iidem, etiam ναοφύλακας, ἐπιμελητάς, ἐπιστάτας eosdem significare magistratus censeo.

currunt, neque talem magistratum in insula fuisse puto: munia eorum exsequebantur haud dubie iidem ἱεροποιοί.

Postremo ab Aristotele l. l. commemorantur ταμίαι τῶν ἱερῶν χρημάτων, quos in Ceorum titulis simpliciter ταμίας appellari supra docui [1]). Permissa erat ταμίαις illis pecuniae sacrae donariorumque administratio; quibus de rebus cum mox infra (§ 5) uberius dicendum sit, hoc loco tantum monuerim duos nos habere titulos, ex quibus de quaestorum illorum officiis nonnulla colligere possimus, alterum Julietarum (n. 37), alterum Carthaeensium (n. 14).

Deinde commemorandus est scriba (γραμματεὺς τῆς βουλῆς, sive simpliciter γραμματεύς), qui ter in Cei insulae titulis invenitur. Ex tribus illis titulis colligere possumus scribam, sicut Athenis, curasse ut decreta legesque lapidibus inciderentur atque publice proponerentur; inscribebat porro scriba victores in albo (n. 66 v. 40 sq.: ἀναγράφειν δὲ εἰς λεύκωμα ἑξῆς τοὺς ἀεὶ νικῶντας τὸν γραμματέα).

Urbi portuique praefecti erant ἀστυνόμοι, quorum de numero nihil constat. Pertinebant ad eorum provinciam haud dubie omnia ea, quae ab Aristotele [2]) uberius enumerantur, sed nolo ea hic retractare, cum ex titulis nihil de his rebus colligere possimus. Semel tantum ἀστυνόμοι illi inveniuntur in Ceorum titulis, et quidem in Coresiorum decreto n. 128 v. 17 sq., ubi Koehler optime coniecit, ad ἀστυνόμους esse delatos, qui in rubrica exportanda leges violassent: τὴν δὲ ἔνδειξιν εἶν]αι πρὸς τοὺς ἀστυνόμους, τοὺς δὲ ἀστυνόμους δοῦνα[ι . . . . ἡ]μερῶν εἰς τὸ δικαστήριον. Ex verbis illis atque rerum contextu mea quidem sententia efficere possumus, habuisse ἀστυνόμους, similiter atque Julietarum προστάτας, curam portus ideoque etiam ἡγεμονίαν τοῦ δικαστηρίου in omnibus causis, quae ad eorum provinciam pertinerent. Etiam in ceteris insulae urbibus haud dubie ἀστυνόμους fuisse, non est quod moneam.

Eadem ἔνδειξις de rubrica contra leges exportata com-

1) cf. Swoboda, Wien. Stud. X (1888) p. 293.
2) Aristot. Polit. VII (VI) 8 p. 1321 b 18 sq.

memoratur etiam in Julietarum decreto n. 128. At vero lacuna, quae ibi exstat, maior est quam ut certius expleri possit. Equidem v. 35 sq. legerim: τὴν δὲ ἔνδειξιν εἶναι Ἀθήνησι μὲν πρὸς τοὺς [ἕνδεκα, ἐν Ἰουλίδι δὲ εἰσαγωγεῖς εἶ]ναι τοὺς προστάτας[1]). De προστάταις supra uberius disputavi (p. 82 sq.) docuique eos minime cum Atheniensium prytanibus comparari posse: erant προστάται illi magistratus quidam, quorum provincia sane hodie deficientibus aliis documentis certius definiri non potest. Mea quidem sententia προστάται illi iidem erant, atque Athenis ἐπιμεληταὶ τοῦ ἐμπορίου: προστάται ergo portui praefecti erant atque ἡγεμονίαν in omnibus δίκαις ἐμπορικαῖς habebant. Quod praeter astynomos — quos Coresi id exsecutos esse quosque in omnibus Cei insulae urbibus fuisse docui — Julide etiam proprii fuerunt magistri portus, in eo offendendum non est. Nam ut de Atheniensium institutis simillimis taceam, Aristoteles ipse l. l. docet ἐν ταῖς πολυανθρωποτέραις πόλεσιν praeter astynomos etiam λιμένος φύλακας fuisse. Neque obliviscendum est, Julida non fuisse urbem maritimam neque ideo astynomos munere suo eodem tempore et in urbe et in portu fungi potuisse; idcirco etiam τὸ ψήφισμα ἐν τῷ λιμένι καταθεῖναι iubetur.

Aristoteles l. l. ἐν ταῖς πολυανθρωποτέραις πόλεσιν etiam κρηνῶν ἐπιμελητάς fuisse docet. Exstat talis κρηνῶν ἐπιμελητής in Carthaeensium tit. n. 15. Agitur ibi de duobus fontibus, prope Carthaeam sitis, qui ut Cereris templo aquam suppeditarent, rivo subterraneo cum templo illo coniuncti erant. Cum vero permagni interesset, aquam esse puram, κρηνῶν ἐπιμελητής constitutus est, cuius erat ἐπιμελεῖ[σθαι] τῶ[ν] κρην[ῶν] ὡ[ς] ἂν μήτε [λό]ωνται μήτε πλύνωσιν ἐν [ταῖς κρήναις] ὧν τὸ ὕδωρ εἶ(σ)ιν εἰς τὸ ἱερὸν τῆς Δήμητρος. Habebat κρηνῶν ille ἐπιμελητής ius coërcendi multaeque dicendae: [ἐὰν δ]έ τις ἢ λ[ό]ῃ ἢ [π]λύνῃ τ[ι] ἐν ταῖς κρήναις, κύριος ἔστω ὁ ἐπιμε[λ]ητὴς [τὸν μ]ὲν [αἴτι]ον ζημιῶν ἅ(χρ)ι δέκα δραχμῶν, τοὺς δ' ἐπ[ί] (τ)[όπ]ους (κ)[αταλη π]τοὺς οἰκέτας πλη-

1) De his supplementis meis cf. infra § 4.

γαῖς κολάζων [1]). Aristoteles [2]) κρηνῶν ἐπιμελητήν inter eos magistratus enumerat, qui χειροτονίᾳ creabantur. Idem in insula Ceo fuisse non est quod moneam, cum supra demonstraverim, omnes Ceorum magistratus suffragiis creatos esse.

Dixi supra de Julietarum προστάταις, quorum munus nisi divinando definiri non poterat. Neque minus ambigitur de munere thesmophylacum (θεσμοφύλακες). Exstant θεσμοφύλακες illi in Julietarum lege de pecuniarum Apollini condonatarum administratione (n. 37), sed titulus ille a partibus sinistra, superiore inferioreque tam mutilus est, ut inde permagnum fructum capere non liceat. Verba, quae huc pertinent, haec sunt v. 15 sq.: . . . . π]ρὸς [3]) τοὺς θεσμοφύλακας οἱ δὲ θεσμο[φύλακες . . . . τῷ εἰσα]γγελθέντι μυρί[α]ς δραχμὰς ἱερὰς ἐς [. . . . εἰς τὸ δικα]στήριον [4]) δέκα ἡμερῶν ἀφ' ἧς ἂν εἰσαγγελ[θῇ . . . . κατ]ὰ τὸν νόμον · ἐὰν δὲ μὴ ἀπο[τ]είσῃ ἀναγρα[ψάντων αὐτὸν .... οἱ θεσμοφύλακ?]ες ἐμ Πυθίῳ ἐν στήλῃ λιθίνῃ πατρόθεν [. . . . μυρίας δρα]χμὰς ἱεράς. Halbherr de thesmophylacibus haec adnotat (p. 204): „un corpo di magistrati Julieti . . . . i quali forse componevano o presiedevano un tribunale. Dinanzi a questo tribunale, entro dieci giorni da che è fatta l' εἰσαγγελία, deve comparire l'accusato. . . .“ Mea quidem sententia thesmophylacum provincia fortasse multo certioribus finibus circumscribi potest. Agitur ibi de εἰσαγγελία, quae πρὸς τοὺς θεσμοφύλακας εἰςαγγεῖλαι iubetur. Infra (§ 4) videbimus verbum εἰσαγγελία minime significare notissimam illam Atheniensium actionem, sed simpliciter delationem: nihilominus in satis magna illa Cei insulae cum Atheniensium institutis similitudine, haud a re esse videtur Atheniensium instituta paucis recognoscere. Εἰσαγγελίαν Athenis ad senatus aut ad populi cognitionem delatam

1) cf. Plut. Them. 31.

2) cf. Aristot. *Ἀθην. πολ.* 43, 1.

3) Halbherr p. 203 n. 5 recte hic adnotat: il supplemento della lin. 15, quanto al senso, dev' essere: *ἐξέστω δὲ τῷ βουλομένῳ εἰσαγγεῖλαι αὐτὸν π]ρὸς τοὺς θεσμοφύλακας κτλ.*

4) Legerim hic: *εἰσαγόντων* (sc. *οἱ θεσμοφύλακες* reum) *εἰς τὸ δικα]στήριον.*

esse, quis est quin sciat. Jam vero hoc monuerim in εἰσαγγελίας actionibus thesmothetas iudicum consilio praefuisse[1]; sed etiam in aliis permultis actionibus θεσμοθέται iudicum consiliis praeerant[2]. Thesmothetarum ergo erat εἰσάγειν εἰς τὸ δικαστήριον, quod ibi de thesmophylacibus dicitur. Sed in insula Ceo cum verba εἰσαγγελία, ἔνδειξις etc. promiscue sint usurpata, e. g. adferam legem, quae exstat in Demosth. orat. in Timocr. § 20 sq., ubi § 22 haec legimus: ὀφείλειν τοὺς δεῖνας χιλίας δραχμὰς ἱερὰς τῇ Ἀθηνᾷ .... καὶ ἔνδειξις αὐτῶν ἔστω πρὸς τοὺς θεσμοθέτας .... οἱ δὲ θεσμοθέται τοὺς ἐνδειχθέντας εἰσαγόντων εἰς τὸ δικαστήριον κατὰ τὸν νόμον. Quae qui cum illa lege comparaverit, necesse est concedat, thesmophylacum atque thesmothetarum munera simillima fuisse. Praeterea etiam nomina eorum inter se congruunt (θεσμοφύλακες et θεσμοθέται)[3]. Ergo mea quidem sententia Julietarum θεσμοφύλακες respondent Atheniensium thesmothetis; munia eorum haec fuisse puto: primum legum custodiam (ἐπιμέλεια τῶν νόμων), deinde litigantes in iudicium vocare (εἰσάγειν εἰς τὸ δικαστήριον), denique haud dubie in satis multis actionibus iudicum consiliis praeesse. Sed tenendum est divinando haec esse inventa, certi nihil fere traditum; neque constat, quot fuerint θεσμοφύλακες.

Postremo commemorandus est γυμνασίαρχος, de quo in Coresiorum tit. n. 66 v. 21 sq. haec legimus: αἱρεῖσθαι δὲ καὶ γυμνασίαρχον ἅμα ταῖς ἄλλαις ἀρχαῖς μὴ νεώτερον τριάκοντα ἐτῶν· τοῦτον δὲ ποιεῖν λαμπάδα τῶν νεωτέρων τῇ ἑορτῇ καὶ τἄλλα ἐπιμελεῖσθαι τὰ κατὰ τὸ γυμνάσιον, καὶ ἐξάγειν εἰς μελέτην ἀκοντισμοῦ καὶ τοξικῆς καὶ καταπαλταφεσίας τρὶς τοῦ μηνός· ὃς δ' ἂμ μὴ παρῇ τῶν νεωτέρων δυνατὸς ὤν, κύριος ἔστω αὐτὸν ζημιῶν μέχρι δραχμῆς. Quibus ex verbis optime gymnasiarchi munus definiri potest. Erat γυμνασίαρχος

1) Aristot. *Ἀθην. πολ.* 59, 2; Demosth. in Timocr. § 63; cf. Meier-Schömann-Lipsius, Att. Process p. 77.

2) cf. Meier-Schömann l. l. p. 72—81.

3) Nomina eorum contulit etiam Diod. V 67: *Διὸ καὶ θεσμοφύλακας καὶ θεσμοθέτας ὀνομάζεσθαι τοὺς τὰ περὶ θεοὺς ὅσια καὶ τοὺς τῶν ἀνθρώπων νόμους διαφυλάττοντας.*

ille (quem in omnibus Cei insulae urbibus fuisse manifestum est) sicut in plerisque civitatibus Graecis [1]) magistratus annuus, qui una cum aliis magistratibus in anniversariis ἀρχαιρεσίαις populi suffragiis creabatur; γυμνασίαρχος triginta annis minor esse non poterat. Gymnasiarchus ille non solum certo quodam die festo λαμπάδα τῶν νεωτέρων facere debebat, sed etiam summam rerum gymnasticarum curam habebat; praeterea autem ter in mensibus iuvenes armorum usum docere debebat. Armorum eo loco tria genera distinguuntur, ἀκόντιον, τόξον, καταπάλτης [2]). In titulis Atticis Samiisque [3]) praeter tria illa genera etiam ὁπλομαχία commemoratur; Dittenberger (De ephebis Atticis p. 55) etiam in insula Ceo illa potissimum quattuor genera in usu fuisse putat, quod ex titulo quem attuli se collegisse profitetur. Quibus ex verbis ea collegerit,

1) [De gymnasiarchis egerunt Dumont, Essai sur l'éphébie attique, Paris 1872 I p. 220 sq. et Grassberger, Erz. u. Unter., sed libri illi mihi praesto non fuerunt.] cf. Fougères, Bull. de Corr. Hell. XV 1891 p. 269 sq. Dumont quattuor distinguit gymnasiarchias, quarum prima secundaque ad insulam Ceum non spectant. Deinde „n. 3) La gymnasiarchie générale, magistrature des jeux conférée par un vote populaire, comme à Salamine (C. J. A. II 594). — Le gymnasiarque est annuel. — n. 4) La gymnasiarchie directoriale, équivalant au cosmétat dans certains pays, et qui consiste simplement dans la direction et l'administration du collège éphébique. Elle était aussi une ἀρχή, exercée au nom de l'État, comme à Téos. Le gymnasiarque y est un magistrat élu, qui a la haute main sur tout ce qui concerne le gymnase et l'éphébie." Deinde p. 271 Fougères haec adnotavit: „Les deux dernières catégories de gymnasiarques ne sont pas absolument distinctes. — Cette gymnasiarchie mixte se retrouve à Céos, où le gymnasiarque est tenu de pourvoir à la course aux flambeaux des νεώτεροι et à tout ce qui concerne le gymnase."

2) Catapultae cum inde a temporibus Alexandri Magni successorumque eius demum omnium in usum venerint, titulus ille haud dubie III a. Chr. n. saec. non est antiquior.

3) cf. Samiorum titulos, quos edidit Kirchhoff, Monatsber. d. Berl. Acad. 1859 p. 739 n. 1 et 1862 p. 72 n. 1 = Ditt. Syll. n. 396. Atticorum titulorum e multis unum adfero: C. J. A. II 467 v. 62 sq. = Ditt. Syll. 347. cf. etiam Aristot. Ἀθην. πολ. cap. 42 p. 108 ὁπλομαχεῖν καὶ τοξεύειν καὶ ἀκοντίζειν καὶ καταπάλτην ἀφιέναι διδάσκουσιν.

ignoro, nam ὅπλα illa, quae v. 33 sq. a probulis comparari iubentur, minime ad ὁπλομαχίαν referri possunt. Distincte enim v. 24 sq. enumerantur ἀκοντισμός, τοξική, καταπαλταφεσία atque v. 32 sq. τοξότης et ἀκοντιστής. Poterat porro γυμνασίαρχος eos iuvenes, qui sine certa causa exercitationibus non interfuerant, poena multare, sed multa illa drachmam excedere non debebat. Ne quid neglexisse videar, moneo duos nos habere titulos donariorum a gymnasiarchis Mercurio dedicatorum [1]).

Quos adhuc enumeravi Ceorum magistratus sunt ordinarii, qui quidem innotuerint. Praeter ordinarios illos magistratus etiam nonnullas fuisse vel minores vel extraordinarias curationes, sine ulla dubitatione confirmaverim; sed praeter s y n d i c o s nulli adhuc innotuerunt. Commemorantur σύνδικοι in Carthaeensium tit. n. 11 v. 7 sq. ubi duo σύνδικοι (Ζ)ηνίδο(ς) [2]) καὶ Λυσιμάχου, hominum privatorum, causam Athenis publice agunt. Sed praeter ea nihil ex titulo illo colligere possumus neque investigare licet, quae fuerit illa causa: causarum illos fuisse patronos manifestum est, cetera omnia ambigua sunt.

Apparitores praeter praecones in titulis nulli commemorantur. Exstant p r a e c o n e s illi (κήρυκες) in duobus titulis, altero Coresiorum (n. 66 v. 15), altero Julietarum (n. 39 v. 16 et 29): in Coresiorum decreto κῆρυξ una cum probulis atque quaestore iubetur δοκιμάζειν τὰ ἱερεῖα καὶ ἀφίστασθαι τὰ κρέα καὶ τῶν ἱερῶν προίστασθαι, in Julietarum autem titulo κῆρυξ

1) n. 57 et 58 *ὁ δ. γυμνασιαρχήσας Ἑρμῇ* sc. *ἀνέθηκεν* cf. n. 2 *ὁ δ. Ἀφροδίτῃ ἄρξας*. Falso Krause, Gymn. u. Agon. II p. 799 not. 67 et Boeckh verbum *Ἑρμῇ* ad *γυμνασιαρχήσας* pertinere putabant cf. Fraenkel ad Boeckh, Sth. d. Ath. II³ p. 112* not. 768 et 775. [R. Neubauer, Commentationes epigraphicae. Berol. 1869 p. 34 not. 1 et Dumont, Essai sur l'éphébie I p. 225 not. 3 de hac re egisse videntur, sed libri isti mihi praesto non fuerunt]. cf. Fougères, Bull. de Corr. Hell. 1891 p. 282; Preller-Robert, Gr. Mythol. I⁴ p. 416, 2.

2) *Ζηνίδος* Wilamovitz rectius supplevit pro [*Τ*]*ηνί*[*ω*]*ν*, quod Boeckh coniecerat, cf. Sonne, De arbitris externis, Gotting. 1888 p. 29. cf. Lebas II n. 1766 *ΞΗΝΙΔΟΝ*.

in victorum numero recensetur[1]. Ex titulis illis duobus, quae fuerit Cei insulae praeconum condicio, plane perspicere non possumus. Coresiorum ille κῆρυξ haud dubie erat κῆρυξ τῆς βουλῆς vel τῆς βουλῆς καὶ τοῦ δήμου; de Julietarum illo praecone nihil pro certo adfirmari potest. Praeter senatum populumque quin etiam iudicia magistratusque suos habuerint praecones, non dubito, sed deficientibus documentis res potius in medio relinquenda est.

Haec sunt, quae comperta habeo de Cei insulae magistratibus, neque me quicquam omisisse puto, quod de singulis vel certum cognosci vel cum quadam probabilitatis specie investigari possit. Commemoratur quidem in Julietarum tit. n. 40 πετρησίαρχος quidam, sed de magistratu illo taceam, cum neque ex nomine, neque ex iis, quae tradita sunt[2], notionem satis claram de munere eius capere possimus[3].

---

4. De iudiciis.

Δοκεῖ δὲ ὁ δῆμος ὁ Ἀθηναίων καὶ ἐν τῷδε κακῶς βουλεύεσθαι ὅτι τοὺς συμμάχους ἀναγκάζουσι πλεῖν ἐπὶ δίκας Ἀθήναζε legimus in libello de rep. Athen.

---

1) De praeconum certaminibus non est quod pluribus dicam. cf. Boeckh ad C. J. G. I n. 1583 (= Larfeld, Syll. inscr. Boeot. n. 32 et Collitz, Gr. Dial.-Inschr. I n. 503), n. 1582, 1584—87, C. J. A. II n. 444 sq. etc.; Ostermann, De praeconibus Graecorum, Marburg 1845 p. 70 sq. Praeter locos, quos illi attulerunt, (Cic. ad fam. V 12 extr., Pollux IV 91, Athen. X p. 415 a) cf. etiam Diod. XVIII 8, 3 *διόπερ ὑπογύων ὄντων τῶν Ὀλυμπίων ἐξέπεμψεν* (sc. Alexander) *εἰς τὴν Ἑλλάδα Νικάνορα τὸν Σταγειρίτην δοὺς ἐπιστολὴν περὶ τῆς καθόδου· ταύτην δὲ προσέταξεν ἐν τῇ πανηγύρει διὰ τοῦ νικήσαντος κήρυκος ἀναγνωσθῆναι τοῖς πλήθεσι.* Quomodo praecones inter se certaverint colligere possumus ex Polluce, quem cf. l. l.

2) cf. v. 1 sq. *τούσδε [ὀφλ]όντας δίκας ὑπὸ τοῦ πετρησιάρχου κ[αὶ] οὐ[κ ἐκ]τείσαντας ἡ βουλὴ οὐ δυ[ν]αμένη πρᾶξαι ἀνέγραψεν* etc.

3) Neque magis U. Koehler, in litteris ad me datis, scire se fatetur, unde magistratus ille nomen suum duxerit.

(I 16), ubi de temporibus imperii Attici agitur. Quae verba generaliter accipi non posse, hodie quis est quin sciat. Ex Cei insulae autem titulis cum nihil de temporibus illis colligere possimus, non meum esse existimo, res illas saepissime tractatas maximeque controversas rursus excutere. Cum vero haec ad Cei insulae res recte intellegendas etiam pertineant, quae mihi vera esse videantur quam paucissimis exponam[1]).

Causas capitales Athenis semper institutas esse colligere possumus ex Antiphontis verbis (V 47): ὃ οὐδὲ πόλει ἔξεστιν ἄνευ Ἀθηναίων οὐδένα θανάτῳ ζημιῶσαι; sed multo maiorem vim, quam illis oratoris verbis, tribuo foederi cum Chalcidensibus facto[2]), ubi v. 71 sq. haec legimus: τὰς δὲ εὐθύνας[3]) Χαλκιδεῦσι κατὰ σφῶν αὐτῶν εἶναι ἐν Χαλκίδι καθάπερ Ἀθήνησιν Ἀθηναίοις, πλὴν φυγῆς καὶ θανάτου καὶ ἀτιμίας· περὶ δὲ τούτων ἔφεσιν εἶναι Ἀθήναζε[4]) ἐς τὴν ἡλιαίαν τὴν τῶν θεσμοθετῶν κατὰ τὸ ψήφισμα τοῦ δήμου. De causis capitalibus non est igitur quod amplius dicam. Alia est ratio causarum privatarum, nam certam de his normam neque statuere possumus neque eam fuisse existimo. „Es ist wahrscheinlich," inquit Holm, „dass die Beschränkung der Gerichtsbarkeit der Bundesgenossen erst mit der Zeit zugenommen hat, und auch zuletzt nicht bei allen dieselbe gewesen ist." Qui fuerint illi termini deficientibus documentis diiudicari non potest. „In Privatsachen," inquit Boeckh[5]), „war vermuthlich eine Summe bestimmt, über welche das bundesgenössische Untergericht nicht entscheiden konnte; grössere Geldsachen kamen nach Athen." Ex pacto Milesiorum c. a. 450 a. Chr. n. cum Atheniensibus

1) cf. praeter libros, quos Busolt, Gr. Gesch. II p. 408 et 430 sq. attulit etiam Holm, Gr. Gesch. II p. 248 sq.

2) cf. C. J. A. IV 27 a = Ditt. Syll. n. 10; cf. imprimis Koehler, Mitth. I p. 193 sq. et Wilamovitz, Philol. Unters. I p. 88 sq.

3) εὐθύνας Wilamovitz l. l. recte poenas significare docuit.

4) Wilamovitz optime hunc locum vertit: „in solchen Sachen soll Ueberweisung nach Athen .... stattfinden." De verbi ἔφεσις significatione statim infra uberius dicendum erit.

5) Boeckh, Sth. d. Athen. I² p. 478.

facto[1]) colligere possumus Milesios privatas causas nisi intra centum drachmas diiudicare non potuisse. Quae res, cum ipsa per se non multum probet, multo maioris momenti fit, si titulum illum comparamus cum tribus aliis titulis, qui ad alterius societatis maritimae tempora referendi sunt[2]); in tribus enim illis titulis, de quibus mox infra uberius dicendum erit, et Julietae et Arcesinenses et Naxii idem facere iubentur quod supra Milesii. Quae casu quodam facta esse persuadere mihi non possum. Habemus enim quattuor titulos, in quibus omnibus agitur de centum drachmis; eorum primus pertinet ad imperii Attici, reliqui tres ad alterius societatis maritimae tempora — quae qui diligenter perpenderit, necesse est mihi concedat, centum illas drachmas multo maiorem vim habuisse, quam homines docti iis hodie fere tribuant. „At vero," dixerit quispiam, „tu ipse negasti certam quandam normam statui posse." Sane quidem, sed confer, quaeso, titulos ipsos: centum illae drachmae in omnibus titulis exstant, reliqua maxime sunt diversa. Ergo, mea quidem sententia, hoc statuamus necesse est, Athenienses cum unaquaque sociorum civitate singillatim pepigisse de rebus maxime diversis; centum autem drachmas temporibus imperii Attici ubique sociorum in causis privatis iurisdictionem terminasse existimo.

Haec praemittere placuit, ut deficientibus documentis aliquantulum quidem cognoscere possimus, qua iurisdictionis ratione usi sint Cei imperii Attici temporibus; iam ad alterius societatis maritimae tempora transeamus.

Ad eius societatis tempora tres Ceorum tituli referendi sunt (n. 127. 128. 11). Quibus de titulis, cum supra (Cap. II § 3) uberius disputaverim, singulas causas hic iterum exponere supervacaneum esse censeo: itaque statim ad res iudiciarias animum advertamus. Incipiamus a titulo n. 127[3]).

---

1) C. J. A. II 22 a.

2) n. 127 v. 75; Rayet, Bull. de Corr. Hell. XII (1888) p. 230 sq. v. 48 sq.; Kumanudis, 'Αϑήν. VII p. 95 n. 7 v. 17 sq. (cf. Szanto, Mitth. XVI (1891) p. 43).

3) cf. Hartel, Sitzber. d. Wien. Acad. 1878 vol. 91 p. 104 sq.; Sonne, De arbitris externis p 74 et p. 104 sq.; Gilbert, Stalt. I p. 403

In foederis illius notissimi, Ol. 100,3 archonte Nausinico facti, condicionibus dilucide scriptum est [ἐλευθέρ]ῳ ὄντι καὶ αὐτονόμῳ. Sed αὐτονομία illa non diu viguit. Colligere hoc potuimus etiamsi nulli omnino inventi essent tituli, ex Isocratis verbis (XII § 63): τάς τε δίκας καὶ τὰς κρίσεις τὰς ἐνθάδε γιγνομένας τοῖς συμμάχοις, nam γιγνομένας certe ad Isocratis tempora referendum est; (cf. etiam § 66). Comprobantur autem illa Isocratis verba compluribus titulis, ex quibus Ceorum tituli non infimum locum obtinent. Jam vero ad titulum illum n. 127 accedamus. Legimus ibi v. 45 sq. ἐὰν δέ [τινες τῶν] ἀπογραφέντων ἀμφισβητῶσι μὴ εἶναι τούτων τῶ[ν ἀνδρῶ]ν ἐξεῖναι αὐτοῖς ἐγγυητὰς καταστήσασι πρὸς [τ]οὺ[ς] σ[τρ]ατηγοὺς τοὺς Ἰουλιητῶν τριάκοντα ἡμερῶν δίκα[ς] δ[π]ο[σχ]εῖν [κα]τὰ τοὺς ὅρκους καὶ τὰς συνθήκας ἐν Κέῳ καὶ [ἐν τῇ ἐκκ]λήτῳ [πό]λει Ἀθήνησι, deinde v. 73 sq. τὰς δὲ δίκας καὶ τ[.... ποιήσομαι] πάσας ἐκκλήτους κ[ατὰ τὰς συνθήκας, ὁπόσαι ἂν ὦσιν ὑπὲρ ἑ]κατὸν δραχμάς. Est autem res illa difficillima et magnam inter viros doctos controversiam fecit. Putant enim viri doctissimi Koehler, Lipsius, Hartel, Dittenberger, Schaefer, Thalheim, Gilbert licuisse Ceis provocare ad Atheniensium iudicia; sententiam eorum complectuntur haec Dittenbergeri verba (not. 24): „Non vetantur omnino Cei de eiusmodi rebus iudicare, ut statim unaquaeque causa ad iudicium Atheniensium deferenda sit. Namque ex hoc foedere gravioribus quoque de rebus in ipsa insula iudicia fuisse, luculentissime apparet ex v. 49. Recte igitur de provocatione potius ad iudicia Attica hic dici statuit Koehler.“ Dittenberger et Lipsius v. 74 sic restituunt: τὰς δὲ δίκας καὶ τ[ὰς γραφὰς τὰς κατ' Ἀθηναίων ποιήσομαι] πάσας ἐκκλήτους; Koehler et Kumanudis verba τὰς γραφάς suspecta habent, reliqua intacta reliquerunt. Verba illa τὰς γραφάς suspicionem meam maxime commovent: quid enim sibi vult illud τὰς δὲ δίκας καὶ τὰς γραφάς? Equidem verba illa, quae vehementer anti-

---

not. 1, p. 418 et not. 1; Schaefer, Dem. I² p. 149 sq.; Meier-Schoemann-Lipsius, Att. Process p. 1003 not. 659, 1004 not. 664; Hermann-Thalheim, Rechtsalt. p. 93 not. 2; Szanto, Mitth. XVI (1891) p. 35 sq.

quitatum compendium redolent, minime ferri posse censeo[1]). Neque magis ferenda existimo verba τὰς κατ' Ἀθηναίων. Iurant Cei πρὸς Ἀθηναίους καὶ τοὺς συμμάχους καὶ Κείων οὓς κατήγαγον Ἀθηναῖοι, pollicentur se συμμαχήσειν Ἀθηναίοις καὶ τοῖς συμμάχοις, neque se unquam defecturos esse ἀπ' Ἀθηναίων καὶ τῶν συμμάχων, iurant porro v. 56 sq. οἱ στρατηγοὶ οἱ Ἀθηναίων καὶ οἱ σύμμαχοι πρὸς τὰς πόλεις τὰς ἐν Κέῳ: semper Athenienses et socii una nominantur. Conferamus porro titulos consimiles: Rayet l. l. τὰς δὲ δίκας τὰς διαγρ[αφείσας ἐν τοῖς] λευκώμασιν ἐξεῖναι αὐτοῦ δι[κάσασθαι ἐπὶ τοῦ] ἀστικοῦ δικαστηρίου μέχρι ἑκατ[ὸν δραχμῶν ΗΜΑΓ [αγ]γε[ιλα]μένων ἐκκλητω....; similiter supra vidimus Milesios causas nisi inter centum drachmas diiudicare non potuisse; in Naxiorum titulo quem supra attuli[2]) constituitur, ut Athenae sint πόλις ἔκκλητος, ubi omnes ἐφέσιμοι δίκαι agi iubentur, — ubique non solum causae κατ' Ἀθηναίων (Lipsius „soweit sie gegen Athener gerichtet waren"), sed omnes omnino causae supra centum drachmas aestimatae vel similes, ἔκκλητοι fiunt. Quae si omnia diligenter reputamus, necesse est concedamus Dittenbergeri coniecturam minime in locum quadrare, nam 1) in titulo illo agitur non solum de Atheniensibus, sed etiam de sociis atque de Ceis redactis, 2) nullum exstat exemplum, ex quo colligere possumus, causas κατ' Ἀθηναίων solas ἐκκλήτους fuisse. Antequam autem supplementa mea adferam, exponam breviter, alii viri docti quomodo de titulo illo

---

1) cf. de verbis illis Lipsius l. l. p. 196 sq. not. 7. „Dass aber γραφή der allgemeine Ausdruck für alle öffentlichen Klagen gewesen ist, lässt sich für den Sprachgebrauch der classischen Zeit nur durch vereinzelte Stellen belegen (Ps.-Xen. Resp. Athen. III 2, Ps.-Demosth. in Steph. II 9). Sonst kennen die Redner die γραφή nur als den übrigen öffentlichen Klagformen coordinirt (cf. Dem. in Boiot. I 14 γραφαὶ φάσεις ἐνδείξεις ἀπαγωγαί). — Um so mehr empfiehlt es sich zur Verhütung von Missverständnissen den Gebrauch von γραφή in weiterem Sinne möglichst zu vermeiden."

2) Kumanudis, l. l.; Szanto, l. l. p. 42; Sonne, l. l. p. 73 sq. not. 46. Szanto v. 17 sq. conicit τάς τε ἐφεσίμους δίκας κ[αὶ ὁπόσα ὑπὲρ ἑκατὸν δραχμάς ἐσ]τιν.

iudicaverint. Ac Sonne quidem sententiam suam p. 117 paucis exposuit: „vidimus neque in altera societate maritima Atheniensium neque unquam provocationem fuisse neque Athenas neque Athenis neque ἐκκλήτους δίκας aut ἔκκλητον πόλιν respicere ad provocationem, sed tum demum dici, cum litigatores, sive erant duae civitates sive civitas et homines peregrini sive factiones unius civitatis inter se convenerant, ut causas sive eo momento sive in omne futurum tempus deferrent ad civitatem aliam, cuius sub dicione non erant." Putat igitur eo loco constitutum fuisse, ut omnes causae supra centum drachmas aestimatae aut Julide aut Athenis liceret agi, id quod coniecturis satis miseris [1]) efficere studet. Szanto l. l. p. 35 putat licuisse Ceis causas supra centum drachmas aestimatas ad Atheniensium iudicia deferre.

Hac in re cum maxime necessarium existimem statuere, quid sit δίκη ἔκκλητος, ab hac quaestione incipiam. Atque hoc quidem Sonnium et Szantonem recte demonstrasse existimo, verbum ἔκκλητος δίκη non esse provocationem (Appellation), sed simpliciter significare causam, quam aut evocare liceat, aut quae evocata sit [2]). Sed erravit Sonne, cum verba illa praeterea nihil aliud significare contendit. Mea quidem sententia manifestum est, id quod non solum ex permultis grammaticorum locis efficere possumus, sed etiam quibusdam titulis probatur [3]), licuisse etiam causas diiudicatas ad aliam civitatem deferre; causae illae etiam ἔκκλητοι δίκαι appellantur. Cum autem illa delatio diiudicatarum causarum ad alia iudicia et apud Romanos et hodie provocatio (Appellation) sit appellata, mirari non possumus, cum veteres grammaticos, tum recentiores viros doctos errori implicatos verba „ἔκκλητος δίκη" eadem esse docuisse atque provocationem. Quod de ἐκκλήτῳ

1) Coniecturas illas (cf. Sonne p. 106) hic refellere non meum esse existimo; corruunt enim ipsae sicut aliae Sonnii coniecturae permultae.

2) cf. Hesych. s. v. ἔκκλητοι δίκαι· αἱ ἐπὶ ξένης λεγόμεναι δίκαι καὶ οὐκ ἐν τῇ πόλει.

3) cf. titulos Arcesinensium et Naxiorum quos supra attuli et notas Szantonis l. l.

δίκῃ docui id etiam de ἐκκλήτῳ πόλει dicendum esse non est quod moneam.

Quibus praemissis ad locum ipsum accedamus. Verba illa, quae tradita quaeque recte restituta esse censeo, haec sunt: τὰς δὲ δίκας καὶ τ[.... ποιήσομαι] πάσας ἐκκλήτους κ[ατὰ τὰς συνθήκας, ὁπόσαι ἂν ὦσιν ὑπὲρ ἑ]κατὸν δραχμάς. Quae verba, sicut hic exstant, dupliciter explicari possunt: aut iubentur enim omnes causae supra centum drachmas Athenis agi, aut licet eas ad Atheniensium iudicia deferre. Ceterum de hac re dubitari non potest; dilucide enim ex v. 49 apparet, in insula Ceo etiam gravioribus de rebus iudicia fuisse, ergo verba illa sic fere vertenda puto: „concedam, ut causae illae etiam ad aliam civitatem deferantur." Πόλιν autem illam ἔκκλητον nullam aliam futuram, nisi Athenas, ex se intellegitur. Jam vero oritur quaestio, quae verba in lacuna illa fuerint, nam neque τὰς γραφάς, neque τὰς κατ' Ἀθηναίων ibi ferri posse supra docui. Equidem legerim: τὰς δὲ δίκας καὶ τ[ὰς κρίσεις τὰς γιγνομένας ποιήσομαι] πάσας ἐκκλήτους κτλ. Quibus ex verbis tria colligere possumus, 1) licuisse Ceis causas illas in sua insula agere, potuisse eos autem non modo 2) causas illas, sed etiam 3) iam diiudicatas causas ad alius civitatis (sc. Atheniensium) iudicia deferre. Optime igitur Athenienses sociorum saluti consuluisse videntur, nam ὅταν εἷς τῶν δικαζομένων suspicatus est τὸν δικαστὴν παραδικάζειν δι' ἔχθραν αὐτοῦ ἢ φιλίαν τοῦ ἀντιδίκου [1]), causam ad aliam civitatem deferre potuit.

Restat ut paucis dicam de v. 45 sq. Jussi erant Julietarum strategi condemnatorum ὀνόματα ἀπογράψαι. ἐὰν δέ [τινες τῶν] ἀπογραφέντων, legimus deinde, ἀμφισβητῶσι μὴ εἶναι τούτων τῶ[ν ἀνδρῶ]ν ἐξεῖναι αὐτοῖς ἐγγυητὰς καταστήσασι πρὸς [τ]οὺ[ς] σ[τρ]ατηγοὺς τοὺς Ἰουλιητῶν τριάκοντα ἡμερῶν δίκα[ς] ὑ[π]ο[σχ]εῖν [κα]τὰ τ[οὺ]ς ὅρκους καὶ τὰς συνθήκας ἐν Κέῳ καὶ [ἐν τῇ ἐκκ]λήτῳ [πό]λει Ἀθήνησι. Discimus ex hoc loco, Julide etiam ἀπογραφῆς actionem fuisse; sed etiam in ceteris Ceorum urbibus eandem fuisse actionem

1) cf. Schol. ad Aeschin. I § 89.

sine ulla dubitatione confirmaverim. Intendi ἀπογραφῆς illa actio poterat haud dubie, similiter atque Athenis, a quovis cive, cuius quidem civitatis ius integrum esset. Quod hic στρατηγοὶ οἱ ἐπιδημοῦντες Ἀθήνησι eam instituere iubentur, sententiae meae repugnare non videtur: cum enim cum strategis de omnibus rebus ad foedus illud pertinentibus actum esset, consentaneum est, iis etiam ἀπογραφὴν mandatam fuisse. Quae supra exscripsi verba ad condemnatos pertinent: licebat enim iis, qui iniuria se in tabulas illas relatas putarent [1]), datis vadibus intra triginta dies δίκας ὑποσχεῖν [2]), et quidem κατὰ τοὺς ὅρκους καὶ τὰς συνθήκας sine ullo discrimine et ἐν Κέῳ et [ἐν τῇ ἐκκ]λήτῳ [πό]λει sc. Ἀθήνησι; sic verba illa intellegenda esse existimo [3]). Ceterum verbis illis quae adiciam pauca sunt. Jubentur condemnati δίκας ὑποσχεῖν intra triginta dies. Athenis quidem usitatissimum fuisse maximam causarum partem intra trigesimum ab instituta actione diem diiudicare, non est quod moneam [4]). In insula Ceo autem, aut Julide saltem, non triginta, sed decem dies in usu fuisse videntur [5]); ergo in eo decreto ab Atheniensibus triginta dies more Atheniensium constitutos fuisse existimo.

---

1) Koehler verba illa aliter interpretatur: es „wird bestimmt", inquit, „dass es denen, welche Ansprüche auf die eingezogenen Güter zu haben glaubten, freistehen solle ἐγγυητὰς καταστήσασι etc." Possunt sane verba illa etiam sic intellegi, sed mihi quidem et rerum contextus et verba ἐγγυητὰς καταστήσασι meam sententiam confirmare videntur.

2) Sonne γλαῦκ' Ἀθήναζε tulisse videtur, cum pluribus verbis demonstrare conatur, verba τριάκοντα ἡμερῶν coniungi non posse cum ἐγγυητὰς καταστήσασι; τριάκοντα ἡμερῶν ad δίκας ὑποσχεῖν pertinere manifestum est.

3) Dittenberger quidem verba illa sic vertit: „Cei ac, si ibi condemnati ad iudicia Atheniensium provocaverint, Athenis", sed haec interpretatio probari non potest, cum verba illa nihil aliud significent, nisi „et in insula Ceo, et Athenis." cf. etiam tit. n. 128, de quo mox infra uberius disseram.

4) cf. Meier-Schoemann-Lipsius p. 906 sq.

5) cf. n. 37 v. 17 sq. εἰς τὸ δικα]στήριον δέκα ἡμερῶν ἀφ' ἧς ἂν εἰσαγγελ[θῇ .... κα]τὰ τὸν νόμον. De titulo n. 128 v. 17 sq., ubi Rangabé et Koehler coniecerunt τριάκοντα ἡ]μερῶν cf. paulo infra.

Alia vero oritur quaestio, fuerintne in insula Ceo similiter atque Athenis Arcesinae Naxi arbitri (διαιτηταί). Constat enim Athenis antequam lis ad iudicium perveniret, arbitros sententiam pronuntiare debuisse. „Die Verhandlung vor den Diäteten“, inquit Szanto [1], „ist aber nothwendig und hängt nicht von dem Belieben der Parteien ab; vielmehr kann kein Process vor Gericht verhandelt werden, der nicht durch das Stadium der diätetischen Verhandlung hindurch gegangen ist.“ Docuerunt viri docti IV a. Chr. saec., temporibus alterius societatis maritimae, διαιτητικὸν νόμον Athenis esse latum, neque Szantonem errasse puto, cum ibidem contendit, „dass die Unerlässlichkeit der Verhandlung vor Diäteten — in Zusammenhang mit dem neuen Diätetengesetz der Athener steht und eine Folge der mit Athen geschlossenen σύμβολα ist.“ Fuerintne etiam Cei διαιτηταί deficientibus documentis diiudicare non audeo, etsi hoc quidem propter vicinitatem et institutorum satis magnam similitudinem, verisimillimum habeo; sed res illa nisi novis repertis documentis ad certum perduci non potest.

Jam vero ad alterum titulum accedamus n. 128 [2]). Causa quae fuerit, cum supra p. 37 sq. uberius exposuerim, tituli verba ipsa nunc inspiciamus. In decretis illis ii, qui contra leges rubricam exportaverint, deferri iubentur. Athenis eiusmodi delatio proprie φάσις appellabatur, sed interdum etiam ἔνδειξις adhiberi poterat [3]). Inter φάσιν atque ἔνδειξιν hoc praecipue intererat, quod in φάσεως actionibus accusator, si vicisset, aut pecuniae eius, in quam reus condemnatus erat, aut publicatorum bonorum partem pro praemio accipiebat; quam partem dimidiam fuisse constat [4]). In insula Ceo inter

1) cf. Szanto, l. l. p. 41 sq.

2) cf. etiam Boeckh, Sth. d. Ath. II³ p. 312 sq.; Rangabé n. 677; Schaefer, Dem. I² p. 150 n. 1; Koehler, Mitth. II p. 150 sq.; Gilbert, Stalt. I p. 418 not. 1; Meier-Schoemann-Lipsius p. 291 not. 263 et 267; Sonne, l. l. p. 111 sq.

3) cf. Meier-Schoemann-Lipsius, l. l.

4) cf. C. J. A. II 17 = Ditt. Syll. 63 v. 42 sq.; (Demosth.) in Theocr. 13; Plato, leg. V p. 745 A.; cf. Lipsius l. l. p. 296, not. 280.

actiones illas nihil interfuisse videtur, nam in decreto illo notiones φάσις et ἔνδειξις promiscue usurpantur, atque dimidia illa pars καὶ τῷ φήναντι καὶ τῷ ἐνδείξαντι adiudicatur. Alteram partem rei publicae cessisse, colligere possumus ex Julietarum decreto v. 36 sq. τῶν χρημάτων τὰ μὲν ἡ]μίσεα εἶναι τοῦ δήμου τοῦ Ἰουλιητῶν. Sed confusio illa notionum multo latius patet. In decretis illis etiam servi noxios deferre iubentur atque pro delatione praemia quaedam accipiebant, quae quidem hodie probabili ratione restitui non possunt: libertatem iis fuisse concessam ex utroque decreto patet, deinde in Julietarum decreto legimus . . . . χρημ]άτων μετέστω αὐτῷ, in Coresiorum decreto ἐὰμ μὲν τῶν ἐξαγόν[των ᾖ, ἐλεύθερος ἔστω καὶ . . . .] μέρη ἔστω αὐτῷ . ἐὰν δὲ ἄλλου τινὸς ᾖ, ἐλεύθερος ἔστ[ω καὶ . . . ., sed quae fuerint illae partes, definire non possumus. Servorum illa delatio Athenis appellabatur μήνυσις, neque enim servi actionem intendere poterant[1]). Cum Atheniensium usu congruunt ea, quae in Julietarum decreto exstant v. 29 sq. ἐὰν δὲ δοῦλος ᾖ ὁ μηνύσας, ἐλεύθερος ἔσ[τω etc.; in Coresiorum autem decreto v. 19 sq. ἐὰν δὲ δοῦλος ᾖ ὁ ἐνδείξας etc. ubi cave credas, servos Coresi ἐνδείξεως actionem instituere potuisse.

Jam videamus, quonam ἔνδειξις deferri iubeatur. Quod ut demonstrem necessarium existimo utrumque locum hic exscribere:

Coresiorum decretum.	Julietarum decretum.
v. 16 sq. τὴν δὲ ἔνδειξιν εἶ-ν]αι πρὸς τοὺς ἀστυνόμους, τοὺς δὲ ἀστυνόμους δοῦνα[ι . . . . ἡ]μερῶν εἰς τὸ δικαστήριον. v. 20 sq. εἶν]αι δὲ καὶ ἔφεσιν Ἀθήναζε καὶ τῷ φήναντι καὶ τῷ ἐνδείξαντι.	v. 35 sq. τὴν δὲ ἔνδειξιν εἶναι Ἀθήνησι μὲν πρὸς τοὺς [. . . . , ἐν Ἰουλίδι δὲ . . . .]αι τοὺς προστάτας.

Quibus ex verbis homines docti collegerunt, ἔνδειξιν illam delatam esse ad Ceorum iudicia, licuisse autem etiam provo-

1) cf. Lipsius l. l. p. 330 sq.

cationem ad iudicia Atheniensium. Quae homines doctos non recte statuisse existimo. Ex Julietarum enim decreto dilucide apparet, ἔνδειξιν sine ullo discrimine et Athenis et Julide deferri potuisse; quomodo homines docti ex verbis illis colligere potuerint, licuisse etiam provocationem ad iudicia Atheniensium, non intellego, nam verba Ἀθήνησι μὲν — ἐν Ἰουλίδι δέ aliter explicari non possunt, quin etiam Athenae primo loco nominantur. Neque aliter res se habet in Coresiorum decreto: legimus ibi τὴν δὲ ἔνδειξιν εἶν]αι πρὸς τοὺς ἀστυνόμους . . . . εἶν]αι [δὲ] καὶ ἔφεσιν Ἀθήναζε, quae verba idem significare atque Julietarum contendo. Causae, cur hoc credam, hae sunt: 1) vidimus in Julietarum decreto nulla provocationis vestigia exstare, neque est cur hoc Coresi aliter fuisse statuamus. 2) v. 20 scriptum est εἶναι δὲ *καὶ* ἔφεσιν Ἀθήναζε; si de provocatione dictum esset, exspectaremus ἔφεσιν δὲ εἶναι Ἀθήναζε, vel τὴν δὲ ἔφεσιν εἶναι Ἀθήναζε. Particula καί, quae hic exstat, respondet Julietarum verbis Ἀθήνησι μὲν — ἐν Ἰουλίδι δέ [1]. 3) Nemo adhuc vidit v. 20 sq. manifesto esse scriptum εἶναι δὲ καὶ ἔφεσιν Ἀθήναζε *καὶ τῷ φήναντι καὶ τῷ ἐνδείξαντι*. Quid, interrogo, verba illa significant, vel potius significare possunt? Licuisse accusatori provocationem ad iudicia Atheniensium? At idem reus facere non potuit? Talem legem nusquam exstitisse existimo. Prospexerunt enim manifesto Athenienses, ut accusatores nimirum Atheniensium commodis servientes litem Athenas deferre possent, si eam Cei se amissuros putarent. De provocatione ergo

1) Qua neglegentia Sonne coniecturas suas fecerit, satis clare apparet ex v. 20 sq.: putat enim scribendum esse [*τὴν δὲ ἔνδειξιν εἶναι ἐν Κορησῷ μὲν πρὸς. . . . εἶναι δὲ*] *καὶ ἔφεσιν Ἀθήναζε*. Ad sententiam recte, nam verba *εἶναι δὲ καὶ* etc. pariter interpretor. Sed Sonne, qui verba illa simpliciter ex Julietarum decreto exscripsit, omnino neglexit, verba illa in Coresiorum decreto ipso exstare v. 16 sq. *τὴν δὲ ἔνδειξιν εἶν]αι πρὸς τοὺς ἀστυνόμους*; verba illa autem bis in eodem decreto scripta fuisse prorsus non est verisimile. Praeterea Sonne ex v. 16 colligere poterat, *ἔνδειξιν* illam Coresi ad astynomos esse delatam: v. 20 nihilominus scribit *ἐν Κορησῷ μὲν πρὸς. . . . εἶναι δέ* etc.; quasi res illa in tenebris prorsus iaceat.

hic ne cogitari quidem potest. 4) Wilamovitz[1]) optime docuit ἔφεσιν non significare provocationem, sed idem esse atque εἰς δικαστὰς ἐφιέναι τι. De verbo ἔφεσις mea quidem sententia idem valet, quod supra de verbis ἔκκλητος δίκη exposui. Vox ἔφεσις proprie nihil aliud significat nisi „Ueberweisung", neque ullam provocationis notionem habet. Quod optime demonstrare possum ex Aristotelis verbis[2]). Legimus enim haec: ὁ δὲ δῆμος ἀφείλετο τῆς βουλῆς τὸ θανατοῦν καὶ δεῖν καὶ χρήμασι ζημιοῦν καὶ νόμον ἔθετο, ἄν τινος ἀδικεῖν ἡ βουλὴ καταγνῷ ἢ ζημιώσῃ, τὰς καταγνώσεις καὶ τὰς ἐπιζημιώσεις εἰσάγειν τοὺς θεσμοθέτας εἰς τὸ δικαστήριον, καὶ ὅ τι ἂν οἱ δικασταὶ ψηφίσωνται τοῦτο κύριον εἶναι. Pergit deinde Aristoteles: κρίνει δὲ τὰς ἀρχὰς ἡ βουλὴ τὰς πλείστας, μάλισθ' ὅσαι χρήματα διαχειρίζουσιν· οὐ κυρία δ' ἡ κρίσις, ἀλλ' ἐφέσιμος εἰς τὸ δικαστήριον; ἐφέσιμος εἰς τ. δ. hic nihil aliud significare potest, nisi supra εἰσάγειν εἰς τὸ δικαστήριον. Res autem illa fit multo clarior, si verba quae sequuntur examinamus: ἔξεστι δὲ καὶ τοῖς ἰδιώταις εἰσαγγέλλειν ἣν ἂν βούλωνται τῶν ἀρχῶν μὴ χρῆσθαι τοῖς νόμοις· ἔφεσις δὲ καὶ τούτοις ἐστὶν εἰς τὸ δικαστήριον, ἐὰν αὐτῶν ἡ βουλὴ καταγνῷ. Verba ἔφεσις εἰς τὸ δικαστήριον — καταγνῷ adeo respondent verbis καταγνώσεις — εἰσάγειν — εἰς τὸ δικαστήριον, ut de provocatione hic ne cogitari quidem possit. Neque aliter res se habet de reliquis verbis: δοκιμάζει δὲ καὶ τοὺς βουλευτὰς τοὺς τὸν ὕστερον ἐνιαυτὸν βουλεύσοντας καὶ τοὺς ἐννέα ἄρχοντας. καὶ πρότερον μὲν ἦν ἀποδοκιμάσαι κυρία, νῦν δὲ <καὶ> τούτοις ἔφεσίς ἐστιν εἰς τὸ δικαστήριον. τούτων μὲν οὖν ἄκυρός ἐστιν ἡ βουλή. Vidimus ergo Aristotelem hic nullam provocationis mentionem fecisse, neque verba ἔφεσις εἰς τὸ δικαστήριον aliud significare nisi εἰσάγειν εἰς τὸ δικαστήριον; senatus est ἄκυρος, ergo de provocatione cogitari non potest. Aliter

1) cf. Philol. Unt. I p. 88 sq.
2) Aristot. Ἀθην. πολ. 45, 1—3.

res se habet in altero capite [1]). Agit Aristoteles ibi de diaetetis atque § 2 haec scribit: οἱ δὲ (sc. διαιτηταί) παραλαβόντες, ἐὰν μὴ δύνωνται διαλῦσαι, γιγνώσκουσι, κἂν μὲν ἀμφοτέροις ἀρέσκῃ τὰ γνωσθέντα καὶ ἐμμένωσιν, ἔχει τέλος ἡ δίκη. ἂν δ' ὁ ἕτερος ἐφῇ τῶν ἀντιδίκων εἰς τὸ δικαστήριον, diaetetae omnia probationum instrumenta in duabus capsulis clausis obsignatisque καὶ τὴν κ[ρίσι]ν τὴν τοῦ διαιτητοῦ γεγραμμένην ἐν γραμματείῳ προσαρτήσαντες παραδιδόασι [πάλιν] τοῖς τὴν φυλὴν τοῦ φεύγοντος δικάζουσιν. οἱ δὲ παραλαβόντες εἰσάγουσιν εἰς τὸ δικαστήριον. Inspiciamus statim etiam § 6: ἔστιν δὲ καὶ εἰσαγγέλλειν εἰς τοὺς διαιτητάς [2]), ἐάν τις ἀδικηθῇ ὑπὸ τοῦ διαιτητοῦ, κἂν τινος καταγνῶσιν, ἀτιμοῦσθαι κελεύουσιν οἱ νόμοι· ἔφεσις δ' ἐστὶ καὶ τούτοις. R. Schoell et Wilamovitz [3]), qui etsi non Aristotelis librum, tamen oratorum atque grammaticorum locos huc pertinentes [4]) noverunt, de provocatione hic agi negaverunt: „provocationis nulla in iure Attico vestigia“ (Schoell); „wer sich bei dem Spruche des Schiedsmannes — nicht beruhigen mochte, dem stand der Rechtsweg frei, das heisst εἰς δικαστὰς ἐφιέναι τι.“ Lipsius et Hubert [5]) contra, iisdem locis nisi, provocationem hic dici putant: „Gegen die Entscheidung des Diaitetencollegiums war Appellation an einen Gerichtshof einzulegen gestattet.“ Mihi quidem res ita se habere videtur: vox ἔφεσις nusquam proprie provocationem significat, sed potest ἔφεσις interdum ex re ipsa nancisci eam notionem, quam Romani provocationem, nos „Appellation“ appellare consuevimus [6]). Quod, mea quidem sen-

1) cf. Aristot. l. l. 53, 2 et 6.

2) Kenyon praeter necessitatem coniecit *δικαστάς* pro *διαιτητάς*, quod in codice Londinensi scriptum est.

3) cf. R. Schoell, De synegoris Atticis p. 19; Wilamovitz, l. l. I p. 89.

4) cf. (Demosth.) in Boeot. or. 40, § 30 sq.; Harpocr. s. v. *εἰσαγγελία*.

5) Lipsius, l. l. p. 334; Hubert, De arbitris Atticis et privatis et publicis, Lipsiae 1885 p. 46 sq.

6) Aristot. *'Αθην. πολ.* 9 non est quod adferam, nam verba *ἡ εἰς τὸ δι[καστήριον] ἔφεσις* simpliciter de dolatione ad iudicia dicta esse manifestum est.

tentia, non sine aliqua probabilitate conicere licet ex Aristotelis verbis, quae supra exscripsi, nam de provocatione a diaetetarum sententiis ibi agi satis manifestum esse existimo. Supra enim dilucide dictum est, senátum fuisse ἄκυρον, ὅ τι ἂν οἱ δικασταὶ ψηφίσωνται, τοῦτο κύριον εἶναι — hic autem: ἂν μὲν ἀμφοτέροις ἀρέσκῃ τὰ γνωσθέντα καὶ ἐμμένωσιν, ἔχει τέλος ἡ δίκη. ἂν δ' ὁ ἕτερος ἐφῇ τῶν ἀντιδίκων εἰς τὸ δικαστήριον etc. Sed hoc etiam atque etiam monuerim, in voce ἔφεσις ipsa nullam inesse provocationis notionem; quam nancisci non potest, nisi ex re ipsa [1]). Quibus omnibus de causis etiam in Coresiorum decreto de provocatione ad iudicia Atheniensium agi, praecise nego.

Restat ut breviter quaeramus, ad quosnam magistratus ἔνδειξις illa sit delata. In Coresiorum decreto ἔνδειξις Coresi πρὸς τοὺς ἀντυνόμους fieri iubetur; de Atheniensium magistratibus nihil dicitur. De astynomis cum supra uberius sit dictum [2]), non est quod hic rem illam retractem. Multo difficilius res se habet in Julietarum decreto. Legimus enim v. 35 sq. τὴν δὲ ἔνδειξιν εἶναι 'Αθήνησι μὲν πρὸς τοὺς [. . . . , ἐν 'Ιουλίδι δέ . . . .]αι τοὺς προστάτας. Verba quae ad Athenienses pertinent, omnes homines docti intacta reliquerunt. At quidem scimus, Athenis ἔνδειξιν aut ad τοὺς ἕνδεκα, aut ad thesmothetas deferri potuisse; vidimus porro supra ἔνδειξιν hoc loco etiam φάσιν appellari, ergo etiam de ἐπιμεληταῖς τοῦ ἐμπορίου cogitari potest [3]). Cum vero omnes fere tituli versus c. 68 habeant litteras, nisi de τοῖς ἕνδεκα cogitari non potest. Sententia mea mihi firmari videtur ea re, quod et ex Aristotele, et ex schol. ad Aristoph. Vesp. 1102 dilucide apparet, undecimviros praecipue ἐνδείξεις instruxisse [4]). Reliqua verba

1) Idem valet de Demotionidarum decreto notissimo v. 93 sq. cf. p. 60 not. 1.

2) cf. p. 93.

3) cf. Meier-Schoemann-Lipsius, l. l. p. 98 sq., p. 291 et 299; Boeckh, Sth. d. Ath. I² p. 62 et 64.

4) cf. Aristot. 'Αθην. πολ. 52, 1 καὶ τὰς ἐνδείξεις εἰσάξοντας · καὶ γὰρ ταύτας εἰσάγουσιν οἱ ἕνδεκα. εἰσάγουσι δὲ τῶν ἐνδείξεών τινας καὶ οἱ θεσμοθέται. Schol. ad Aristoph. Vesp. 1102 εἰσῆγον δὲ καὶ τὰς ἐνδείξεις.

homines docti sic restituere sunt conati: ἐν Ἰουλίδι δὲ πρὸς τοὺς .... κ]αὶ τοὺς προστάτας. Quae eos non recte coniecisse existimo, nam 1) supra docui omnes versus 67 vel 68 habuisse litteras, ergo post πρὸς τούς neque ἀστυνόμους neque θεσμοφύλακας inserere possumus; 2) permirum mihi videtur, in decreto illo fuisse praeceptum, licuisse ἔνδειξιν illam deferre aut ad nescio quem magistratum, aut ad προστάτας; 3) supra (p. 94) uberius docui, Julietarum προστάτας respondisse Atheniensium ἐπιμεληταῖς τοῦ ἐμπορίου, ad eos autem etiam Athenis eiusmodi causas delatas esse modo dixi. Totum locum ergo sic restituendum existimo: τὴν δὲ ἔνδειξιν εἶναι Ἀθήνησι μὲν πρὸς τοὺς [ἕνδεκα, ἐν Ἰουλίδι δὲ εἰσαγωγέας[1]) εἶν]αι τοὺς προστάτας.

Vidimus supra tres Ceorum titulos ad alterius societatis maritimae tempora esse referendos; quorum tertium attuli Carthaeensium tit. n. 11. Commemorantur ibi v. 7 sq. οἱ σύνδικοι οἱ ἀποσταλέντες (sc. Athenas) ὑπὸ τῆς πόλεως ἐπὶ τὰς δίκας τὰς κατὰ (Ζ)ήνιδο(ς)[2]) καὶ Λυσιμάχου. Quae fuerit causa ex titulo ipso non apparet. Ζῆνιδα atque Λυσίμαχον homines fuisse privatos titulumque „eius esse aetatis, qua tales causae Athenis agerentur secundum leges i. e. ante 338," Wilamovitz recte coniecit. Syndicos haud dubie causarum fuisse patronos ibidem docui.

Ceterum ad IV a. Chr. saec. referendus est etiam Julietarum tit. n. 37; de titulo ipso cum infra (§ 5) uberius dicendum sit, iam res ad iudicia pertinentes inspiciamus, etsi propter tituli statum miserabilem omnia certius definiri non possunt. Jubentur v. 6 sq. ταμίαι lenta nomina tabulis inscribere; qui id non fecerint, in eos poena constituitur. Quae fuerit illa poena non constat. Quaestor, qui multam illam non pependerat, similiter atque debitores μὴ κομίσαντες ἢ μὴ

1) *εἰσαγωγεῖς* omnes magistratus appellabantur, qui *ἡγεμονίαν δικαστηρίου* habebant cf. Meier-Schoemann-Lipsius l. l. p. 45 not. 13, p. 94 not. 150. Demosth. or. 37, 34 *οὐκ ὄντων εἰσαγωγέων τῶν θεσμοθετῶν ὑπὲρ ὧν λαγχάνει Πανταίνετος.*

2) cf. p. 98 et not. 2.

ἐξομ[νύσαντες, sicut Athenis[1]), τὸ διπλάσιον solvere debebat, id quod Halbherr non sine aliqua probabilitatis specie coniecit. Sed Halbherr non recte Athenis in eiusmodi causis γραφὴν ἀγραφίου institutam esse monuit: cum ex permultis aliis locis, tum ex (Demosthenis) oratione in Theocrinem § 52 dilucide efficitur, ἔνδειξιν hanc actionem dictam fuisse[2]). Julide quomodo sit appellata non constat, neque hoc dolendum esse existimo. Vidimus enim supra notiones ἔνδειξις, μήνυσις, φάσις sine ullo discrimine fuisse usurpatas, videbimus statim etiam εἰσαγγελίαν nihil aliud significare nisi simpliciter „deferre“: ergo mea quidem sententia in eo acquiescendum est, fuisse in insula Ceo etiam eiusmodi causas; quae quomodo sint appellatae, nihil attinet, cum ex permultis indiciis pateat Ceos ab Atheniensibus sane actionum illa varia nomina petiisse, sed minime nominibus illis varias significasse actiones. Sed iam ad εἰσαγγελίαν illam, quam dixi, accedamus (v. 13 sq.). Halbherr eam cum Atheniensium εἰσαγγελίᾳ conferre studet et p. 203 sententiam suam his verbis complectitur: „È probabile che la legge isangeltica di Julis ammettesse nella sua ampiezza anche certi casi che in Atene si potevano considerare come straordinari e che nel nostro l'azione d'εἰσαγγελία contro i funzionari del tempio che avessero fatto dei denari ricuperati un uso diverso da quello prescritto dal decreto, meritando la multa di 10000 dramme, sia del tutto regolare.“ Mea quidem sententia de Atheniensium εἰσαγγελίᾳ hic cogitari non potest, neque est quod cum Halbherro Julide etiam εἰσαγγελτικὸν νόμον fuisse statuamus. Verbum εἰσαγγελία in titulo illo omnino non occurrit: legimus bis εἰσαγγέλλειν (v. 16 τῷ εἰσα]γγελθέντι et v. 17 ἀφ' ἧς ἂν εἰσαγγελ[θῇ] atque si Halbherr v. 15 recte restituit — ut mihi quidem videtur —

1) cf. Boeckh, Sth. d. Ath. I³ p. 457 sq.

2) (Dem.) or. 58, § 52 *ἀκούετε τοῦ νόμου, ὦ ἄνδρες δικασταί, ὅτι διαρρήδην λέγει ἐάν τις τῶν ὀφειλόντων τῷ δημοσίῳ μὴ ἐκτείσας τῇ πόλει τὸ ὄφλημ' ἐξαλειφθῇ, εἶναι κατ' αὐτοῦ τὰς γραφὰς πρὸς τοὺς θεσμοθέτας τοῦ ἀγραφίου, καὶ οὐ κατὰ τοῦ ὀφείλοντος καὶ μὴ ἐγγεγραμμένου, ἀλλ' ἔνδειξιν κελεύει καὶ ἄλλας τιμωρίας κατὰ τούτων εἶναι.* cf. Boeckh, l. l. p. 459 et not. d; Meier-Schoemann-Lipsius, l. l. p. 447 sq.

ἐξέστω δὲ τῷ βουλομένῳ εἰσαγγεῖλαι αὐτόν; ubique verbum illud simpliciter tradi potest „deferre". Legimus deinde in Lampsacenorum quodam titulo C. J. G. II n. 3641 b v. 32 καταγγελλέτω δὲ ὁ βουλόμενος, quae verba similiter vertenda sunt. Quin etiam Athenis εἰσαγγελία atque εἰσαγγέλλειν interdum idem erant quod delatio (μήνυσις)[1]. Vidimus denique supra delationem Ceos sine ullo discrimine appellasse ἔνδειξιν, μήνυσιν, φάσιν: quibus etiam εἰσαγγελίαν adiungere possumus. Etiam Athenis in eiusmodi causis μήνυσιν fuisse usitatam, non est quod moneam[2]). Deferri εἰσαγγελία illa in titulo iubetur ad θεσμοφύλακας, de quibus cum supra (p. 95 sq.) uberius dixerim, non est quod hanc rem hic retractem; etiam de decem illis diebus (δέκα ἡμερῶν ἀφ' ἧς ἂν εἰσαγγελθῇ) supra p. 106 uberius exposui. Verba κατὰ τὸν νόμον (v. 18) non ad εἰσαγγελτικὸν νόμον referenda sunt — quam in insula Ceo fuisse nego — sed ad legem, de qua hic agitur, cf. v. 21 καὶ χρῆσθαι νόμῳ τούτῳ etc. Denique v. 18 sq. legimus: ἐὰν δὲ μὴ ἀποτείσῃ (sc. ὁ εἰσαγγελθείς) ἀναγρα-[ψάντων αὐτὸν . . . . οἱ θεσμοφύλακ]ες ἐμ Πυθίῳ ἐν στήλῃ λιθίνῃ πατρόθεν (patris nomine addito) . . . . δρα]χμὰς ἱεράς (sc. etiam multa lapidi inscribebatur); quibus nihil habeo quod addam.

De Julietarum tit. n. 40 nihil fere dici potest. Legimus enim ibi v. 1 sq. haec: ἐπὶ Διοκύδους ἄρχοντος · τούσδε [ὀφλ]όντας δίκας ὑπὸ τοῦ πετρησιάρχου κ[αὶ] οὐ[κ ἐκ]τείσαντας ἡ βουλὴ οὐ δυ[ν]αμένη πρᾶξαι ἀνέγραψεν τὸ ἡ[μιόλι]ον κατα[δίκης. Qui fuerit ille πετρησίαρχος ignoramus, neque magis constat, quae fuerint illae causae, de quibus hic agitur. Athenienses, si debitores aerarii non pendebant, multam eorum duplicabant, in insula Ceo autem multa fiebat sescupla. Ceo-

1) Meier-Schoemann-Lipsius l. l. p. 313: „in einem weiteren Umfange εἰσαγγελία und εἰσαγγέλλειν für jede Art von Anzeige oder Angabe (μήνυσις) steht." cf. not. 325 et 371 atque Hager, Quaest. Hyperid. Lps. 1870 p. 47 sq.

2) cf. Lipsium l. l. p. 330 sq. „auf dem Wege der einfachen Denuntiation, μήνυσις — ausserdem können wir μηνύσεις über Veruntreuung von Staatseigenthum nachweisen."

rum senatum, sicut Athenis, multas exigere debuisse supra p. 83 vidimus.

Litem instituere neque libertini poterant neque mulieres; agebant autem libertinorum causas patroni (προστάται), mulierum tutores (κύριοι). De inquilinis res satis est incerta, cum non constet, Μείδων ille (n. 40 v. 26/27) fueritne inquilinus an libertinus (cf. supra p. 68). Tutores (κύριοι) commemorantur in Carthaeensium tit. n. 14; mulierum nominibus semper adscribitur καὶ κύριος [1]), ut v. 62 Θεοφράστη καὶ κύριος Ἀμφι[κ]ύδης. In insula Ceo mulieres similiter atque in ceteris civitatibus Graecis, iure publice agendi caruisse, non est quod moneam. Num autem in insula mulieres omnino iure illo caruerint, aut sicut Athenis μεδίμνου κριθῶν tenus συμβάλλειν potuerint [2]), deficientibus documentis diiudicare non possumus. In eodem titulo Bb v. 12 et 56 atque in Julietarum tit. n. 40 v. 16/17 col. II commemorantur etiam κληρονόμοι. Ex Isocratis or. XIX 12 sq. colligere possumus, Ceos eadem constituisse de testamentis atque Athenienses [3]). Ceterum res illa etiam alio documento confirmari potest. Constat enim Athenis in rebus et ad hereditates et ad funera pertinentibus ἀγχιστείαν terminatam esse liberis consobrinorum consobrinarumque [4]). Iidem termini cum exstent in Julietarum lege funebri (n. 34), mea quidem sententia non sine aliqua probabilitatis specie conicere possumus, etiam in rebus hereditariis eosdem Cei exstitisse terminos. Deinde in duobus titulis commemo-

---

1) cf. n. 14 Ba v. 6 (cf. app. epigr.); Bb v. 30, 40, 42?, 44? 48, 62.

2) cf. Isae. de Aristarch. her. X 10 *ὁ γὰρ νόμος διαρρήδην κωλύει παιδὶ μὴ ἐξεῖναι συμβάλλειν μηδὲ γυναικὶ πέρα μεδίμνου κριθῶν*, quae verba aliter atque Caillemer et Schulthess fecerunt explicari non possunt, cf. Schulthess, Vormundschaft nach att. Recht, Bonn 1886 p. 101 sq., qui omnes, qui de hoc loco egerunt, attulit. Harpocration verba illa non recte intellexit. De mulieribus cf. etiam Anthes, De emptione venditione etc. Halis 1885 p. 15 sq.

3) Hermann-Thalheim l. l. p. 61.

4) cf. Demosth. in Macart. 51 et 62; Dareste-Haussoullier-Th. Reinach, Recueil d. inscr. jur. grecq. I Paris 1891 p. 16 sq.

rantur sponsores (ἔγγυοι), de quibus non multum habeo quod dicam [1]): respondebant illi haud dubie Atheniensium sponsoribus [2]). In altero quidem decreto sponsores appellantur ἐγγυηταί, sed titulus ille est Atticus, Athenis autem sponsores nisi ἐγγυηταί non appellabantur [3]).

Restat, ut paucis moneam, in Carthaeensium titulo de fontium curatione permissum fuisse curatoribus ius coërcendi multaeque dicendae, v. 6 sq. κύριος ἔστω ὁ ἐπιμε[λ]ητὴς [τὸν μ]ὲν [αἴτι]ον ζημιῶν ἄ(χρ)ι δέκα δραχμῶν, τοὺς δ' ἐπ[ὶ] (τ)[ό-π]ους (κ)[αταληπ]τοὺς οἰκέτας πληγαῖς κολάζων [4]). De poenis illis Thalheim [5]) uberius egit atque satis multos locos collegit, ex quibus efficitur, usitatissimum fuisse in civitatibus Graecis ingenuos pecunia multare, servos autem verberibus castigare. Quomodo Larfeld [6]) οἰκέτας etiam ad ingenuos referre potuerit, non intellego.

Exstant praeterea aliquot pactiones tituli que consimiles, sed de illis aptissimum censeo in sequente paragrapho disputare.

Cum iam finem fecerim disserendi, operae pretium esse existimo paucis comprehendere, quae ex disputatiuncula mea de insulae Cei iudiciis efficiantur. Imperii Attici temporibus omnes causae capitales Athenis agebantur; de privatis causis nihil constat: omnes causas supra centum drachmas aestimatas etiam Athenis agi potuisse coniecerim, reliqua sunt ambigua. Alterius autem societatis maritimae temporibus omnes causae

---

1) n. 66 v. 5 sq. *τὸν δ' ἐγλαβόντα ἔ γ γ υ ο ν κ α τ α σ τ ῆ σ α ι ὃν ἂν δέχωνται οἱ πρόβουλοι ἐστιάσειν κατὰ τὸν νόμον*; n. 127 v. 46 sq. *ἐξεῖναι αὐτοῖς ἐγγυητὰς καταστήσασι πρὸς τοὺς στρατηγοὺς τοὺς Ἰουλιητῶν τριάκοντα ἡμερῶν δίκας ὑποσχεῖν.*

2) cf. Hermann-Thalheim l. l. p. 91 sq., Meier-Schoemann-Lipsius l. l. p. 703 sq.

3) Moeris s. v. *ἐγγύον Ἀττικοί, ἐγγυητὴν Ἕλληνες* scripsit, perverse quidem, nam in titulis Atticis usurpatur tantum verbum *ἐγγυητής*, in ceteris autem civitatibus Graecis *ἔγγυος*.

4) cf. supra p. 94.

5) cf. Thalheim, Rechtsalt. § 18 p. 127 et not. 2; cf. etiam R. Schoell, Sitzber. d. bayer. Acad. 1887 I p. 22 not. 1.

6) cf. Burs. Jhb. 1889, vol. 60 p. 486.

supra centum drachmas aestimatae sine ullo discrimine et Athenis, et in insula Ceo agi poterant; poterant etiam res Cei iam diiudicatae ad Atheniensium iudicia deferri. Magistratus Ceorum sicut Athenis ἡγεμονίαν δικαστηρίου habebant in omnibus rebus ad provinciam eorum pertinentibus. Etiam causarum patronos (σύνδικοι) in insula fuisse ex Carthaeensium quodam titulo colligere possumus. Actionum nomina permulta Cei ab Atheniensibus petiverunt: ἀπογραφή, φάσις, ἔνδειξις, μήνυσις, εἰσαγγελία, sed nomina illa minime sicut apud Athenienses varias actiones significasse videntur. Ἀπογραφήν enim si exceperis, cetera nomina nihil aliud significant nisi simpliciter „delationem", Ceique verbis illis sine ullo discrimine promiscue utebantur: quin etiam in eodem titulo de eademque causa legimus nomina ἔνδειξις, φάσις, μήνυσις! Multarum dimidia pars reipublicae cessisse videtur, alteram accipiebat accusator. Aerarii debitores si non pendebant, multa fiebat sescupla. Mulieres, libertini atque fortasse etiam inquilini ipsi litem instituere non poterant.

---

5. De oeconomia rei publicae.

Postquam de tota rei publicae gerendae ratione §§ 2—4 expositum est, restat, ut etiam, quae ex titulis nostris de reditibus sumptibusque publicis colligi possint, breviter exponam. Antequam autem de reditibus sumptibusque dicam, liceat mihi pauca de Cei insulae re nummaria [1]) praefari.

Atque VI et V s. ineunte usque ad annum c. 480 a. Chr. Cei insulae suos quaeque urbs signabat nummos. Nummi illi erant argentei. „Ihr Münzfuss [2]) ist der damals den Kykladen

1) cf. Catal. of greek coins, Crete and the Aegean islands, London 1886 p. 89 sq.; Head, Historia numorum, Oxford 1887; Imhoof-Blumer, Abh. d. bayer. Acad. 1890, Griechische Münzen p. 536 sq.

2) cf. Imhoof-Blumer l. l. p. 537 sq.

gemeinsame aeginäische. Das Gewicht der Stater bester Erhaltung ist durchschnittlich 12 Gr. u. zwar öfter darunter als etwas darüber." Carthaeensium signum erat amphora, Coresiorum sepia, Julietarum uva [1]). Temporibus illis urbes illae satis floruisse videntur; Poiessiorum nulli exstant nummi [2]). Deinde V s. (ab anno c. 480 a. Chr.) et IV s. nulli omnino nummi in insula signati esse videntur: temporibus enim imperii Attici Macedonicique nummi Attici longe lateque diffusi erant. IV autem a. Chr. saeculo exeunte atque III s. Cei insulae urbes sympolitia coniunctae erant atque communiter nummos signabant. Nummi illi erant aenei; „Obverse: bearded head laur. (Aristaeus?), head of Apollo laur., Reverse: KEI vel KEIΩN Sirius vel star." [3]) II denique atque I s., fortasse etiam III s. exeunte suos quaeque urbs signabat nummos. Nummi illi item sunt aenei. Carthaeensium signum est KAPΘAI vel KAPΘA, Coresiorum KOPH vel KO, Julietarum IOYΛIE vel IOYΛI vel IOY.

Iam vero rei publicae reditus inspiciamus quos aut ordinarios aut extraordinarios fuisse non est quod moneam. Ceterum de his rebus non multum habemus compertum.

Cum insula et agrorum et metallorum fertilitate floreret urbesque haberet emporiis florentissimas, inter vectigalia principem haud dubie locum tenebant portoria. At vero de singulis portorii generibus nihil ex titulis colligere possumus: in unico enim decreto, ubi de Ceorum commercio agitur,

1) Imhoof-Blumer l. l. p. 539 sq. recte docuit, nummos uva signatos falso Carthaeensibus esse tributos; nummi illi nisi Julietarum esse non possunt.

2) cf. Imhoof-Blumer l. l. p. 536 et not. 5.

3) Wroth (cf. Catal. p. 89) nummos illos II et I s. a. Chr. n. tribuit, sed cf. p. XLV: „their arrangement on grounds of style is consequently not easy. Most of these copper currencies (as at Anaphe, Ceos etc.) have been in this catalogue assigned to the second and first centuries B. C., though some may possibly be earlier." Head l. l. aetatem eorum rectius definivit. Imhoof-Blumer, l. l. p. 536 Wrothium secutus esse videtur, sed mea quidem sententia non recte.

Atheniensibus ἀτέλεια conceditur in rubrica exportanda[1]). Ceterum etsi de portoriis nihil ex titulo illo discimus, tamen nonnulla de rebus ad commercium pertinentibus cognoscere possumus. Constitutum est in decretis illis, ne quis rubricam alio exportaret nisi Athenas, neve aliis navibus, nisi quibus Athenienses haud dubie concederent. Quod pactum ne quis neglegeret, φυλακὴ τῆς μίλτου instituta erat, cui Coresi sine dubio praeerant ἀστύνομοι, Julide autem (cum portus c. 25 stad. ab urbe distaret) προστάται, quos Atheniensium ἐπιμεληταῖς τοῦ ἐμπορίου respondisse supra docui (p. 94). Pro vectura solvere iubetur ὀβολὸς τ[οῦ ταλάντου ἑκάστου[2]). Fuerintne in insula Ceo etiam διαπύλιον atque ἐπώνιον, deficientibus documentis adfirmare non audeo, etsi hoc verisimillimum habeo. Deinde μετοίκιον commemorandum est. Discimus enim ex Coresiorum tit. n. 66, pependisse inquilinos libertinosque tributum, quod Atheniensium exemplum secutus μετοίκιον dixerim[3]). Ceterum μετοίκιον illud in omnibus insulae urbibus exstitisse existimo. Libertini praeter μετοίκιον haud dubie pergebant (similiter atque Athenis) τὸ τέλος τῶν ἀνδραπόδων civitati pendere: ergo etiam pro servis tributum esse pensum verisimile est[4]). Inter Atheniensium vectigalia enumeratur etiam πορνικὸν τέλος: quod in insula Ceo fuisse nego, Phylarchi nisus testimonio[5]).

---

1) n. 128 v. 33 sq. ἀτέλειαν δὲ εἶναι (sc. Atheniensibus).... ἀπὸ τοῦ μηνὸς τοῦ Ἑρμαιῶνος.

2) cf. l. l. v. 13 sq. ubi ex Boeckhii et Koehleri coniecturis optimis legimus: ναῦλλον δὲ τελεῖν ὀβολὸν το[ῦ ταλάντου ἑκάστου τοῖς ναυκλήροις το]ὺς ἐργαζομένους. cf. Boeckh, Staatsh. d. Ath. I³ p. 150, II³ p. 313. Commemorantur in eodem titulo etiam πεντηκοστή v. 23, sed Boeckh recte intellexit, significari hoc verbo tributum, quod in portu Piraeensi esset numerandum, cf. l. l. II³ p. 317, Koehler l. l. ad v. 23.

3) n. 66 v. 10 τοὺς μετοίκους καὶ τοὺς ἀπελευθέρους ὅσοι τὰ τέλη φέρουσιν εἰς Κορησίαν, cf. supra p. 68.

4) cf. quae supra p. 68 exposui; Boeckh, Staatsh. I³ p. 401 sq., II³ p. 79* not. 546.

5) cf. Athen. XIII 610 d, F. H. G. I 346: ὅστις οὐδὲ τοῦτ' οἶδας, καίτοι συνεχῶς Φυλάρχου μνήμην ποιούμενος ὅτι ἐν ταῖς Κείων πόλεσιν οὔτε ἑταίρας οὔτε αὐλητρίδας ἰδεῖν ἔστι.

Aliud vectigalium genus erant vectigalia metallorum, agrorum aliorumve fundorum publicorum. Ceus, metallorum fertilissima, satis multa habebat sane metalla, quae bona fuisse publica non solum ex aliarum civitatum Graecarum exemplis, sed etiam ex Ceorum pacto illo notissimo de rubrica nisi Athenas non exportanda colligere possumus. Metalla illa haud dubie sicut Athenis a privatis possessoribus exercebantur, qui rei publicae et semel, cum emerent possessiones, pretium eorum et deinceps annuum vectigal solvebant. Ceterum certi nihil de hac re proferre possumus.

Paulo plura discimus de fundorum publicorum locatione ex Poiessiorum tit. n. 69 et 70[1]). Incipiamus a n. 69, quam legem Halbherr iure alteri V a. Chr. s. parti tribuit. Legem illam, cum sit memorabilis, totam exscribam: Θε]οί. Ποιασσίων ἡ γῆ. [Τ]ὸν [ἐ]νοικοῦντ[α ἀ]ποδιδόναι μηνὸς Βακχιῶνος δεκάτῃ: △△△· ἂν δὲ μὴ ἀποδῷ ἀπιέναι ἐκ τῶν χωρίων. Φόρους φέρειν ἐς Ποιᾶσσαν. οἰκίην ὀρθὴν κα[ὶ] στέγουσαν παρέχειν. Δένδρα ἥμερα μὴ κόπτειν. Agitur hic de agris fundisque, quae Poiessiorum erant bona publica: colligere hoc possumus ex verbis Ποιασσίων ἡ γῆ atque φόρους φέρειν ἐς Ποιᾶσσαν. Sequuntur deinde locationis condiciones, quae eadem sunt permira brevitate atque in compluribus aliis eiusdem aetatis titulis consimilibus. Atque condiciones illae sunt tres: 1) iubetur conductor (τὸν ἐνοικοῦντα) 10 die Bacchionis mensis 30 drachmas solvere; si conductor tempore constituto non pendit, ius conductionis perdit. Tempus locationis, cum in decreto additum non sit, infinitum esse existimo [2]); quae sententia mea mihi firmari videtur ea re, quod v. 9 sq. scriptum legimus φόρους φέρειν ἐς Ποιᾶσσαν, nam φόρος dicitur merces emphyteutica [3]). „Pare che tali terreni“, inquit

1) Habemus quidem praeterea Poiessiorum tit. n. 72, sed titulus adeo est mutilatus, ut fructum inde nullum capere possimus.

2) cf. Haussoullier, Bull. de Corr. Hell. III p. 242 sq.; Euler, De locatione conductione atque emphyteusi Graecorum, p. 14 sq. et p. 25 sq.; Hermann-Thalheim, Rechtsalt. p. 82 sq., qui omnes commentationes huc pertinentes enumeravit.

3) cf. Thalheim, l. l. p. 83 not. 2: „Der Zins der Erbpacht heisst *φόρος*“; Boeckh, Staatsh. d. Ath. I[3] p. 178 g.

Halbherr, „non fossero nè di grande estensione, nè di molto prodotto, se questo (sc. merces) non supera le trenta dramme e non è accompagnato, come in simili contratti da prestazioni in natura." Sane quidem. Sed obliviscendum non est, agi hic de locatione conductione hereditaria, quam dicere consuevimus emphyteusim, emphyteuticam autem mercedem satis parvam fuisse constat [1]; deinde iure Boeckh de mercede in universum hoc docuit: „Die Pacht der Ländereien musste geringer sein, als die Zinsen des darin steckenden Kapitals, wenn es ausgeliehen wurde." Ergo mea quidem sententia ex triginta illis drachmis solis de fundis Poiessiorum certi quicquam statuere non possumus. De Bacchione mense, quem Atheniensium Anthesterioni respondisse puto, infra uberius dicam. Verba ἂν δὲ μὴ ἀποδῷ ἀπιέναι ἐκ τῶν χωρίων non est quod explicem, luce enim sunt clariora [2]). 2) Jubetur deinde conductor οἰκίην ὀρθὴν καὶ στέγουσαν [3]) παρέχειν i. e. domum sartam tectam tueri; denique 3) δένδρα ἥμερα μὴ κόπτειν i. e. conductori non licebat arbores insitas caedere; quae cum ex se intellegantur verbum non amplius addam. Titulum illum termino (ὅρος) fuisse inscriptum manifestum est.

Iam vero ad alterum Poiessiorum titulum (n. 70) accedamus, ubi Ἀνταλκίδαι, quos phratriam fuisse supra (p. 64 sq.) docui, fundum conductori cuidam locant. Pactum illud duabus ex partibus constitisse puto. Atque prior pars, cuius initium periit, continebat condiciones locationis: in parte ea, quae servata est, ut conductor, si tempore constituto mercedem [4]) non solverit, ius conductionis perdat, constituitur; quae si ita sunt, fundus ille fit denuo Antalcidarum, atque Antalcidis licet fundum illum aut vendere aut locare (v. 7—12). Fundus ille vinetum fuisse videtur, nam in altera quae sequitur parte (v. 13 sq.) confirmatur, accepisse conductorem dolia (v. 13—17),

---

1) cf. Thalheim, l. l. p. 83 not. 2; Boeckh, l. l. (c. 4%—8%).

2) cf. Ditt. Syll. n. 440 v. 17 sq.; Euler, l. l. p. 24 sq., p. 37 sq. Thalheim, l. l.

3) *οἰκίη στέγουσα* sc. *ὕδωρ*, cf. Thuc. IV 94 *νῆες οὐδὲν στέγουσαι*, cf. C. J. A. II n. 1059 v. 22 sq. *οἰκίαν — στέγουσαν καὶ ὀρθήν*.

4) De mercede (*τὸ καταπάγιον*) cf. app. epigr.

atque deinde statuitur, ut conductor, si mercedem non solverit, etiam dolia Antalcidis reddat (v. 18 sq.); reliqua restitui non possunt. Cetera cum sint manifesta, paulo uberius inspiciamus tantum v. 13—18: „παρέλαβεν πίθους ὑγ[ι]εῖς ἐννέα, μέτρον τούτων ἑκατὸν ὀγδοήκοντα· [σ]ακνοὺς [1]) πέντε, μέτρον τούτων ἑκατόν.“ Πίθοι illi, quos conductor accepisse dicitur, quin dolia vinaria fuerint non est quod dubitemus. Accepit quidem ille 9 dolia integra, quorum μέτρον 180, et 5 dolia non integra, quorum μέτρον 100, ergo uniuscuiusque dolii μέτρον 20 amphoras vel metretas ($9\times20=180$, $5\times20=100$) fuisse patet.

Locabant deinde Cei haud dubie, sicut Athenis, etiam aedes publicas atque theatra [2]), sed nihil de hac re ex titulis colligere possumus.

Tertium denique redituum genus erant ἐπιβολαί atque pecuniae, quas res publica capiebat ex iudiciis. Ἐπιβολῆς unum tantum exemplum habemus, Carthaeensium tit. n. 15, ubi fontium curatori (κρηνῶν ἐπιμελητής) permittitur ius multae dicendae: quae multa decem drachmas excedere non poterat (δέκα δραχμῶν). Praeterea in titulis commemorantur tantum publicationes bonorum. De titulis illis [3]) cum supra uberius sit actum, res illas hic pluribus verbis retractare nolo. Publicantur quidem bona eorum, qui rebellionis a. 363 fuerunt participes; publicantur praeterea bona eorum, qui rubricam contra leges exportaverant ([δημόσια εἶναι] τὸ πλοῖον καὶ τὰ χρήματα τὰ ἐν τῷ πλοίῳ; dimidiam partem accipiebat delator, altera reipublicae cedebat): sed etiam aliis permultis de causis publicationes esse decretas ex se intellegitur. De controversiis propter publicata bona ortis supra l. l. uberius disputavi. Quae fuerit causa in tit. n. 40 cum non constet, totum locum hic exscribere sufficiet: τούσδε [ὀφλ]όντας δίκας ὑπὸ τοῦ πετρησιάρχου κ[αὶ] οὐ[κ ἐκ]τείσαντας ἡ βουλὴ οὐ δυ[ν]αμένη πρᾶξαι ἀνέγραψεν τὸ ἡ[μιόλι]ον κατα[δίκης. In

1) De verbo σακνός cf. app. epigr.
2) De Carthaeensium theatro cf. supra p. 6.
3) n. 127 v. 35 sq., 41 sq.; n. 128 passim. cf. Cap. II § 3.

insula Ceo lentos debitores sescuplum (ἡμιόλιον) pendere debuisse, supra docui (p. 115): ceterum in titulo hoc cum sescuplum exstet, multarum illarum minima drachma, maxima 90 drachmae fuisse videtur [1]). Aerarii debitores quoad debita solvissent temporaria haud dubie adfecti erant ἀτιμίᾳ; praeterea variae pecuniae aut ab actore aut ab utroque litigante sine dubio deponebantur, sed nihil ex titulis de his rebus discimus.

Hi, quos adhuc enumeravi, ordinarii erant rei publicae reditus. Ad ordinarios eos reditus pertinent etiam civium inquilinorumque munera quaedam, quae liturgiae vocantur (λειτουργίαι). Quarum liturgiarum nobilissima erat χορηγία. In Carthaeensium tit. n. 14 inter alios magistratus, qui coronam Apollini dedicant, enumerantur etiam choregi. Boeckh [2]) coronarum illarum naturam non recte definivit cum scripsit: „ein Verzeichniss der Kränze — die sie bei den Feierlichkeiten getragen hatten." Supra enim docui (p. 87) singula magistratuum collegia unam dedicasse coronam, deinde Ab v. 34 sq. dilucide est scriptum (id quod Halbherr iure animadvertit): ὁ δεῖνα χορηγήσας παισὶν εἰς Δῆλον [3]) στεφανωθεὶς ὑπὸ τοῦ δήμου χρυσῷ στεφάνῳ ἀνέθηκεν τὸν στέφανον τῷ Ἀπόλλωνι: coronae illae erant eae, quae a populo, si munere cum laude functi viderentur, decernebantur. Quae fuerit illa χορηγία discimus ex Antonio Liberali (μεταμ. συναγ. 1) ταύτην (sc. Κτησύλλαν) ἰδὼν .... χορεύουσαν Πυθίοις παρὰ τὸν βωμὸν τοῦ Ἀπόλλωνος ἐν Καρθαίᾳ [4]) atque ex Athen. X

1) De Atheniensium institutis cf. Bekker, Anecd. I p. 199, 4 s. v. *ἀπογράφειν· τοῦ μὴ βουλομένου ἐκτίνειν τὸ ὄφλημα ὃ ὀφείλει διπλοῦται τὸ ὄφλημα καὶ ὁ δήμαρχος σὺν τοῖς βουλευταῖς τοῦτον εἰσπράττει καὶ ἀπογράφεται αὐτοῦ τὴν οὐσίαν καὶ ἐνεχυράζει.* cf. Boeckh, Staatsh. I³ p. 597 c et not. 819.

2) C. J. G. l. l. et kl. Schriften VII p. 354 sq.

3) Hoc unicum est exemplum, ubi homo Ceus peregre choregorum munere est functus. Exstant autem nonnulli tituli, ubi Cei in collusorum numero enumerantur: n. 132 (Deli), n. 138—141 (Delphis).

4) cf. Westermann, Mythogr. p. 201 sq.; Broendsted, p. 95; cf. p. 19 not. 3. Ceterum cave credas puellarum choros inter se certasse, recte enim scripsit Wilamovitz, Herakl. I p. 347 not. 13: „Jung-

p. 456 f. sq., ubi de Simonide dicitur: λέγεται δὲ ἐν τῇ Καρθαίᾳ διατρίβοντα αὐτὸν διδάσκειν τοὺς χορούς. εἶναι δὲ τὸ χορηγεῖον ἄνω πρὸς Ἀπόλλωνος ἱερῷ κτλ [1]). Celebrabantur ergo Carthaeae Pythia eaque choris, qui erant lyrici; in titulo illo Carthaeensium enumerantur chori τῶν ἀνδρῶν et τῶν παίδων. Exercebantur choreutae in χορηγείῳ, quod publicum fuisse videtur [2]); adfert Athenaeus etiam multam quandam: „ταχθῆναί φασι τῷ μὴ παραγινομένῳ τῶν χορευτῶν εἰς τὴν ὡρισμένην ὥραν παρέχειν τῷ ὄνῳ χοίνικα κριθῶν (sc. asino, qui aquam ex fonte apportabat).“ Etiam in ceteris insulae oppidis Apollinis Pythii fuisse templa supra docui (p. 5 sq.), sed in oppidis illis num etiam Pythia sint celebrata, diiudicare non possumus. Sed non solum lyrici chori in insula erant. Coronae enim in quibusdam titulis renuntiari iubentur Διονυσίοις τῷ ἀγῶνι, in Julietarum tit. n. 47 verbis illis etiam additum est τῶν τραγῳδῶν [3]). Ergo etiam scaenicos choros in oppidis illis fuisse patet.

Deinde commemoranda est λαμπαδαρχία, quae in Coresiorum tit. n. 66 [4]) exstat, cf. v. 22 sq. „τοῦτον (sc. γυμνασίαρχον) δὲ ποιεῖν λαμπάδα τῶν νεωτέρων τῇ ἑορτῇ καὶ τἆλλα ἐπιμελεῖσθαι τὰ κατὰ τὸ γυμνάσιον.“ Haase, Dittenberger, Dumont γυμνασιαρχίαν et λαμπαδαρχίαν „nihil nisi eiusdem

---

frauenchöre in Agonen kennt ionische Sitte nicht.“ Chori illi ad sacra ipsa pertinebant, cf. Aug. Mommsen, Delphika, Lpz. 1878, p. 185 et not. 1.

1) De templo Apollinis Pythii atque de *χορηγείῳ* cf. supra p. 5. — De Pythiis cf. infra.

2) De Atheniensibus hoc non constat, cf. A. Müller, Gr. Bühnenalt. p. 334, 2 „Er musste ferner ein, *χορηγεῖον* genanntes, Local für die Uebungen zur Verfügung stellen, welches in seinem eigenen Hause befindlich sein konnte.“ cf. Antiphon. de chor. § 11. De Atheniensium *Μελιτέων οἴκῳ* cf. Müller l. l. p. 106, not. 2; Oehmichen, Iw. Müller's Handb. V 3 p. 210.

3) cf. n. 12. 19. 47. 78. De Carthaeensium theatro cf. p. 6; cf. etiam Plut. Demosth. 1: *τὴν Ἰουλίδα .... ὑποκριτὰς μὲν ἀγαθοὺς τρέφειν* (cf. p. 7).

4) cf. Fougères, Bull. de corr. Hell. XV (1891) p. 280 sq., qui etiam aliorum de lampadarchia illa sententias commemoravit.

rei duo vocabula" esse existimant. Sed erraverunt homines docti, nam gymnasiarchiam Ceorum non liturgiam, sed magistratum fuisse ordinarium, supra docui (p. 96 sq.). Deinde v. 31 legimus: „λαμπαδάρχῳ τῷ νικῶντι ἀσπίδα," lampadarchi ergo sunt plures et funguntur liturgia. Gymnasiarchi erat providere, ut λαμπάς illa fieret, lampadarchorum autem sumptibus in ludis qui certaturi essent alebantur, exercebantur rebusque ad certamen necessariis instruebantur.

Rangabé etiam tertiam liturgiam, ἀρχιθεωρίαν, investigasse sibi visus est, sed neuter titulus huc pertinet. Tit. enim n. 75 in insula Ceo quidem inventus est, sed continet Naupactiorum decretum, similiter atque tit. n. 22; Σωκράτης Τιμόνου in tit. n. 77 idem est, qui n. 22 Naupactiorum vocatur θεωρός (ἐπὶ θεωροῦ Σωκράτους τοῦ Τιμόνου), ergo Naupactiorum est magistratus eponymus, non Ceorum θεωρός. Alter titulus (Ant. Hell. n. 818 inventus in arce Athenarum) nihil ad Ceum attinet. Collaudatur enim non Δάπυρις Καλλ.... Κεῖος, sed Δάπυρις Καλλίου Κλεωναῖος, nam de Koehleri supplementis [1]) neutiquam dubitari potest. Omnia igitur, quae Rangabé de duabus illis legationibus commentus est, silentio praeterire possumus.

De extraordinariis reditibus nihil fere habemus compertum. Fuerintne in insula Ceo etiam ἐπιδόσεις, εἰσφοραί, aliaque id genus plura, diiudicare non possumus, etsi de re ipsa dubitari non potest. In insula autem non aliter atque in aliis civitatibus Graecis, deficiente publico aerario pecuniae saepenumero aut ex deorum aerariis aut etiam ab aliis civitatibus mutuae sumebantur. Qua de re edocemur duobus titulis iisque gravissimis, Marmore Sandwicensi (n. 125) et Carthaeensium tit. n. 14, qui continet rationes quaestorum templi Apollinis Pythii.

Ac de priore quidem titulo non est quod plura verba faciam; est enim notissimus. Ineunte enim IV a. Chr. s. Cei insulae civitates una ex aerario Apollinis Delii pecunias sumpserunt mutuas. Secundum rationes, quae in lapide illo per-

1) cf. Hermes V (1871) p. 18 et 328.

scriptae sunt, Cei per quadriennium 377—374 pependerunt 5472 dr. 4½ ob., residuae fuerunt 4127 dr. 1½ ob., ergo per quattuor illos annos iis pendendae fuerunt 9600 dr. Quae fuerit illa summa, quam Cei mutuam sumpserint, atque quo anno sumpta sit, mea quidem sententia definiri non potest. At vero Schoeffer[1]) utrumque investigasse sibi visus est. Ex tit. C. J. A. II 814 b v. 10 et 37 τάδε ἐδανείσαμεν ἐπὶ ταῖς αὐταῖς συνθήκαις καθάπερ οἱ ἄλλοι τὰ ἱερὰ χρήματα τοῦ Ἀπόλλωνος τοῦ Δηλίου δεδανεισμένοι εἰσί coniecit pecunias illas antiqua lege faenori datas esse i. e. „ea condicione, ut pro centenis drachmis quotannis duas penderent (τόκους ἐπιδεκάτους), post quinque vero annos ipsum caput redderent.“ Ceos ergo a. 377 4 tal. (=24000 dr.) mutua sumpsisse existimavit. Sed hanc Schoefferi sententiam probare non possum. Ac primum quidem verba ἐπὶ ταῖς αὐταῖς συνθήκαις etc. non est quod ad antiquam legem referamus: verbis illis amphictyones simpliciter confirmant, se non aliter pecunias illas faenori dedisse atque decessores. Praeterea perspicere non possum, cur necesse sit statuere, omnes civitates nisi quinto quoque anno pecunias mutuas sumere non potuisse. Verba enim τοῦ τόκου, ὃν ἔδει αὐτὰς ἐπὶ τῆς ἡμετέρας ἀρχῆς ἀποδοῦναι atque τὸν τόκον τὸν ἐπὶ τῆς ἡμετέρας ἀρχῆς dupliciter tantum explicari possunt: aut enim omnes civitates a. 377 pecunias illas mutuas sumpserunt (id quod equidem veri dissimillimum habeo, cum non pateat, cur aliae civitates insequentibus annis pecunias mutuas sumere non potuerint, qua de re nihil in titulo illo exstat), aut civitates illae, nescio quo tempore, pecunias mutuas sumpserunt atque quotannis usuras pendere debebant, amphictyones illi autem quorum intererat quadriennii tantum rationes tabulis inscribere, optime verbis, quae modo attuli, uti poterant. Ergo neque de tempore neque de summa certi quicquam statuere possumus.

In altero tit. n. 14, qui IV a. Chr. s. exeunte incisus esse videtur, in antica parte B v. 14—24 perscriptae sunt pecuniae, quas Carthaeensium res publica intra septem annos

1) Schoeffer, De Deli ins. reb. p. 61 sq., 71 sq.

mutuas sumpserat ex sacro aerario Apollinis Pythii Carthaeensis: anni illi num alter alterum exceperint, diiudicari non potest. At vero cum lapis ille a parte dextra valde sit mutilatus, summae illae aut prorsus aut ex parte quidem perierunt[1]: praeter v. 23 et 24 nusquam integram habemus summam; ceterum v. 21 plus quam 14 dr. fuisse non possunt. Jam vero cum de reliquis versibus pro certo nihil dici possit, inspiciamus paulo diligentius versus illos, de quibus nuper Szanto l. l. falsam, ut mihi quidem videtur, opinionem protulit. Verba eius, de quibus iam erit dicendum, aptissimum censeo hic exscribere (p. 32): „Der heilige Schatz von Karthea (!)[2] auf Keos dürfte seinem Staate zu ebenso billigen Bedingungen geborgt haben. Wenigstens findet sich in der citierten Inschrift ein Darlehen von 1959 Drachmen und 2 Obolen vermerkt, wobei die Erhaltung der Inschrift die Möglichkeit zulässt, auch 3 oder 4 Obolen anzusetzen. Es ist klar, dass ein Darlehen in einer runden Summe, oder doch wenigstens nicht bis auf Obolen genau, gewährt wird; es müssen also Zinsen mit eingerechnet sein. Rechnet man 1950 Drachmen als Capital und 9 Drachmen 4 Obolen als Zinsen, so hat man nahezu $^1/_2\,^0/_0$. Dass aber diese Rechnung richtig sei, macht der Umstand wahrscheinlich, dass unter demselben Archonten zwei Darlehen, eines zu 2000, und eines zu 12 Drachmen aufgeführt erscheinen. Nimmt man das zweite als Zins des ersten, so erhält man ungefähr dieselbe Verzin-

---

1) *Τάδε ἐδανείσατο ἡ πόλις.*
Ἐπὶ ἄρχοντος Πανταγάθου ....
Ἐπὶ ἄρχοντος Κτησιμένους ....
Ἐπὶ ἄρχοντος Θεοχύδους Η Η ....
Ἐπὶ ἄρχοντος Φίλωνος Χ Χ 𐅈 Η ....
Ἐπὶ ἄρχοντος Καλλιμένους Χ ....
Ἐπὶ ἄρχοντος Καλλίπου Χ Χ ....
Ἐπὶ ἄρχοντος Καλλίπου Δ ⊢ ⊢ ..
Ἐπὶ ἄρχοντος Σωκρίτου Χ Χ Η Η Η ....
Καὶ ἕτερον Η Δ Δ Δ
Καὶ ἕτερον Χ 𐅈 Η Η Η Η 𐅄 Γ ⊢ ⊢ ⊢ ⊢ Ι Ι [Ι?

2) p. 9 Szanto item scripsit Karthea.

sung, auf ein Jahr gerechnet" [1]). Verba illa si considero, venit mihi in suspicionem Szantonem tituli locum ex Mus. Ital. nescio quo tempore exscripsisse neque adnotasse, quae summae essent integrae, quae non; cum vero titulum hoc loco tractaret, titulum ipsum minime iterum inspexisse [2]). Quod si fecisset, talia errata, qualia in verbis eius quae supra attuli exstant, numquam fieri potuissent. Dicit enim v. 24 tres vel quattuor fuisse obolos — de quattuor autem obolis ne cogitari quidem potest. Deinde v. 20 et 21 utitur summis illis quasi sint integrae — v. 21 autem 13 vel 14 dr. fuisse supra docui, v. 20 contra quae fuerit summa praeter 2000 illas drachmas, diiudicare non possumus. Fundamenta igitur, quibus Szantonis illae computationes nituntur, maxime sunt caduca. Sed ne computationes quidem ipsae sunt rectae: si enim caput erat 2000 dr. atque pro centenis drachmis quotannis $^1/_2$ dr. pendenda erat, hoc non 12 dr. sed tantum 10 dr. efficiebat; sin autem 12 dr. sumimus, caput 2400 dr. fuerit necesse est. Sed computationes illas, cum summae minime sint integrae, potius missas faciamus. Szanto adnotavit „ungefähr dieselbe Verzinsung, auf ein Jahr gerechnet." Quid sibi vult illud „ungefähr? Summae illae aut efficiant aut non efficiant $^1/_2$ % necesse est — illud „ungefähr" in computationibus non est ferendum. Similiter v. 24 si cum Szantone caput 1950 dr. fuisse sumimus, usurae nisi 9 dr. $4^1/_2$ ob. fuisse non possunt — in titulo autem illo exstant 9 dr. 3 ob. Cur deinde, quaeso, tantum v. 21 et 24 usurae perscriptae exstant? Cur v. 21 archontis nomen repetitum est atque usurae separatim scriptae exstant, v. 24 autem una cum capite? Cur v. 23 ubi integram habemus summam, usurarum nulla fit mentio? Quid sibi volunt deinde verba „auf ein Jahr gerechnet?"

1) Swoboda verba illa temere probasse videtur, nam si simpliciter dicere voluisset, Carthaeenses ex sacro aerario pecunias sumpsisse mutuas, non Szanto adferendus fuit sed titulus ipse, quem Halbherr accuratius expressit.

2) Neque p. 9 sq., ubi locum illum sane iis lectoribus exscripsit, quibus Mus. Ital. praesto non esset, neque verbo ullo neque signo indicavit, quae summae essent integrae, quae non essent.

Perturbaverunt Szantonem oboli illi, quos a civitate mutuos sumi potuisse negavit. Unde hoc collegit? Ditt. Syll. n. 44 v. 26 sq. 1 tal. 2565 dr. $4^1/_2$ ob., v. 22 sq. 1 tal. 1232 dr. $3^1/_2$ ob.; Ditt. Syll. n. 29 v. 46 sq. mutua sumpta sunt 222 tal. 1642 dr. $2^1/_2$ ob., aliaque exempla permulta. Szantonis sententia ergo prorsus est reicienda. Drachmae illae 12 (resp. 13 vel 14) simpliciter explicari possunt. In titulo illo satis multa exstant errata, de quibus infra uberius dicam: similiter etiam hic v. 20 drachmae illae errore quodam omissae atque postea v. 21 additae sunt; ea ipsa de causa etiam archontis nomen est repetitum. Deinde v. 22 sq. Carthaeenses Socrito archonte ter pecunias sumpserunt mutuas, hic igitur optimo iure archontis nomen non est repetitum, sed scriptum legimus v. 21 καὶ ἕτερον atque v. 22 similiter καὶ ἕτερον. Oboli illi, qui v. 24 exstant, nos quidem perturbare non possunt.

Szanto praeterea etiam tit. n. 127 huc pertinere putavit [1]), minimo autem iure. De tribus illis talentis, de quibus v. 5 sq. agitur, sic iudicat: „Es ist wahrscheinlich, dass die drei Talente, welche nunmehr als Staatsschuld figurierten, der athenerfreundlichen Partei von Julis seitens der Athener zur Erreichung ihres Zweckes geborgt wurden, und nunmehr vom Staate der Julieten anerkannt wurden.“ De tota re cum supra (p. 39 sq.) uberius dixerim, hoc unum monuerim dilucide hic esse scriptum τρία τάλαντα τ ὰ ἐ κ τ ο ῦ λ ο γ ι σ θ έ ν τ ο ς ἀ ρ γ υ ρ ί ο υ κατὰ τὸ ψήφισμα τοῦ δήμου τοῦ Ἀθηναίων, ὃ Μενέξενος εἶπεν, quae verba de residuis tributis (συντάξεις) dicta esse Koehler optime docuit. De pecuniis mutuis si ageretur, neque „τὰ ἐκ τοῦ λογισθέντος ἀργυρίου“ scriptum esset, neque pecuniae illae v. 11 sq. acerbissime exigi iuberentur.

Sed iam satis multa de reditibus; iam videamus, quaenam fuerint rei publicae necessitates, in quas pecuniam insumi oporteret. Incipiam ab extraordinariis sumptibus, cum de iis nihil fere habeam quod dicam. In eo numero erant sumptus, qui in nova opera publica impendebantur, velut Carthaeensium theatrum, χορηγεῖον, templum Apollinis Pythii

1) Wien. Stud. VIII (1886) p. 3 sq.

tectoriis ornatum (ἀναγεγράφθαι ἐν τῷ τοῦ Ἀπόλλωνος ἱερῷ τὸν Τρωικὸν μῦθον, ἐν ᾧ Ἐπειὸς ὑδροφορεῖ τοῖς Ἀτρείδαις) aliaque permulta. Ex titulis autem de hac re nihil discimus. Pertinent huc etiam impensae bellorum, rebellionum, discordiarum: quas enumerasse sufficiet, cum nihil certi de his rebus habeamus compertum.

Inter ordinarios sumptus in primis commemoranda sunt tributa (φόροι, συντάξεις), de quibus supra p. 31 sq. et p. 36 sq. uberius disputavi. Atque pendebant quidem Cei, ut paucis complectar, temporibus primae dominationis Atticae (φόροι) ante annum 425 = 4 tal., anno 425 = 10 tal., post annum 425 = 6 tal. Temporibus alterius societatis maritimae tributa illa nomine minus invidioso συντάξεις dicta sunt: quanta fuerint non constat. In tit. n. 127 3 tal. de residuis tributis (συντάξεις) dicta esse Koehler iure docuit.

De mercedibus, salariis, largitionibus etsi neque ex titulis neque ex scriptoribus quicquam colligere possumus, tamen de re ipsa non est quod dubitemus. Legati quidem certe accipiebant viatica (ἐφόδια), apparitores salaria, aliaque id genus permulta, quae singula enumerare nihil attinet.

Sequuntur varia honorum praemiorumque genera: hospitalia dona legatis civitatum exterarum praebita [1]), ἀτέλεια, statuae, coronae aliaque. Coronae decernebantur et civibus peregrinisque bene de re publica meritis, et anno exacto universo senatui singulisque magistratuum collegiis et liturgis, quibus de rebus supra uberius dixi. Magistratuum liturgorumque coronae pondo pendebant 100 dr. (n. 14), de reliquis coronis nihil constat. Habemus quidem tit. n. 78, ubi homo quidam corona donatur, quae 100 dr. pependisse atque Dionysiis pronuntiata esse videtur, sed titulus cum sit a Pittaki editus, fidem ei magnam tribuere non possumus, id quod tituli nonnulli, quos infra edidi, dilucide docent. Coronae illae nimirum erant aureae: in Sarapiastarum tantum decreto (n. 81) exstat θαλλοῦ στέφανος.

---

1) n. 128 v. 24 et 34 *καλέσαι δὲ καὶ ἐπὶ ξένια εἰς τὸ πρυτανεῖον τοὺς Ἀθηναίους εἰς αὔριον*. Ibidem v. 33 *ἀτέλεια*.

Deinde commemoranda sunt psephismata, quae lapidibus incidebantur atque proponebantur. De impensis quidem eorum nihil habemus compertum, cum in omnibus titulis simpliciter scriptum sit: τὸ δὲ γενόμενον ἀνάλωμα vel τὸ δὲ ἀνάλωμα τὸ γενόμενον vel τὸ δὲ ἀνάλωμα. Excipiendus est tantum titulus quem supra attuli, ubi, si quidem Pittakis recte legit, 30 dr. assignantur [7]), quae summa etiam in Atheniensium decretis saepissime exstat.

Satis magnas pecunias haud dubie requirebant etiam opera publica reficienda tuendaque, sed de impensis illis nihil ex titulis nostris colligere possumus.

Ultimos nomino sumptus, qui in rem divinam a Ceis impendebantur, non quod eos minoris fuisse momenti existimem (immo vero magnae pecuniae haud dubie insumebantur), sed quia cum rebus illis nonnullae aliae quaestiones cohaerent, quas divellere nolui. Priusquam enim de sumptibus illis dicam, videamus, in insula Ceo qui dei sint culti quique dies festi celebrati; similiter etiam de Ceorum fastis nonnulla dicenda sunt.

Atque colebantur quidem in insula: Ζεύς (Julietarum tit. n. 38, Apoll. Rhod. II 516 sq. Schol. ad v. 498, Ζεὺς Ἰκμαῖος atque eius templum); Ἀθηναίη (n. 83, Juliet. n. 32 et 38; Strabo VIII 360 et X 487 Poiess. templum Ἀθηνᾶς Νεδουσίας), Ἀπόλλων (n. 82; Carth. Πύθιος n. 5. 6. 7. 8. 11. 14. 18. 127; Jul. Πύθιος n. 36. 37. 38. 47. 127; Poi. n. 71; Cor. n. 128; Apollinis templa in unaquaque urbe erant; Athen. X 456 f atque Anton. Liber. μεταμ. συν. 1=Westermann, Mythogr. p. 201 sq. Carthaeensium templum Apollinis Pythii; Strabo X 487 Coresiorum atque Poiessiorum templa Apollinis Sminthaei; denique in permultis nummis Apollinis exstat caput), Ἄρτεμις (Jul. tit. n. 48; eius templum n. 89 atque Anton. Lib. l. l.; caput eius in Julietarum nummis), Ἀφροδίτη (n. 2; Carth. n. 9; Anton. Lib. l. l. Julietarum ἱερὸν Ἀφροδίτης Κτησύλλας), Ἑρμῆς (Jul. n. 57 et 58), Ἱστίη (n. 4), Ἀσκλήπιος (n. 3; templum eius cf. Halbherr

7) n. 78 v. 6 *δραχμὰς τριάκοντα.*

l. l. p. 216; Carth. n. 14), Δημήτηρ (n. 84; eius templum Carth. n. 15; Δημήτηρ et Κόρη n. 85), Διόνυσος (n. 78; Jul. n. 53 et 47; Athen. X 456 d Julide ei bos mactatur; caput eius in Carthaeensium et Julietarum nummis), Ἀρισταῖος (Apoll. Rhod. II 521; Diod. IV 81, 1 etc.; caput eius haud dubie in Ceorum atque Coresiorum nummis).

Dies festi in insula Ceo agebantur hi: Πύθια, Θεοξένια, Διονύσια, Ἀσκληπίεια, Νέμεια, Εἰσίδεια, Ἀπατούρια, Ἀνθεστήρια, sollemnia Jovis Icmaei, denique Coresiorum ille dies festus (n. 66), cuius nomen quidem periit; agebantur haud dubie etiam alii dies festi, sed de iis nihil habemus compertum. Jam vero ad singulos dies festos accedamus.

Πύθια Carthaeae esse celebrata discimus ex Anton. Lib. l. l., quibuscum conferenda sunt ea, quae legimus apud Athen. X 456 f. Vidimus supra p. 124 sq. Ctesyllam Pythiis saltasse; vidimus porro Simonidem choros docuisse, ergo Pythia lyricis choris celebrata esse manifestum est. Krause [1]) quidem haec adnotavit: „Die Pythien zu Karthaea kennen wir nur in musikalischer Beziehung.“ Sed apud Ant. Lib. legimus ἐπεὶ δὲ διῆλθεν ὁ τῶν Πυθίων χρόνος, ergo cum sollemnia illa per aliquot dies sint acta, praeterea varia fortasse certamina fuisse possunt, etsi de iis nihil est traditum. Quod Krause scribit „die Pythien, welche hier wie Antonius Liberalis bezeugt, vorzüglich in Chören bestanden,“ falsum est, minime enim Ant. Lib. id docuit. Narrat ille simpliciter fabellam istam de Ctesylla, quam Hermochares Atheniensis Pythiis saltantem vidisse dicitur: quibus ex verbis neque efficitur, Pythia praecipue choris esse celebrata, neque erat quod aut Ant. Lib. aut Athenaeus adderent, praeterea gymnica fuisse certamina. Cum Pythia illa Delphorum ritu acta esse verisimillimum sit, erant haud dubie etiam sacrificia, pompa, epulum, in quae rite celebranda sumptus de publico sane non mediocres faciendi erant.

Θεοξένια item Carthaeae celebrata esse docet tit. n. 14 B. Titulus ille cum contineat rationes quaestorum Apollinis

---

1) Krause, Die Pythien, Nomeen u. Isthmien, Lpz. 1841, p. 63

Pythii, θεοξένια illa Apollinis fuisse videntur, id quod per se verisimillimum erat [1]). De sollemnibus ipsis nihil discimus.

Διονύσια commemorantur in compluribus titulis honorariis, ubi coronae Dionysiis renuntiari iubentur; in Julietarum tit. n. 47 additum est τῷ ἀγῶνι τῶν τραγῳδῶν. Constat ergo tragoedias Dionysiis esse actas. De comoediis nihil habemus compertum, sed de re ipsa dubitari non potest [2]). De theatris, choregis, choris, histrionibus supra uberius dixi (p. 124 sq.). Mos erat exordiri Dionysia a sacrificiis, ad quae spectant ea, quae scripta legimus apud Athen. X 456 d: „οἵ δέ φασιν ἐν Ἰουλίδι τὸν τῷ Διονύσῳ θυόμενον βοῦν ὑπό τινος τῶν νεανίσκων παίεσθαι πελέκει." Idem constat de Atheniensium ephebis cf. C. J. A. II 467=Ditt. Syll. n. 347 v. 16 sq. καὶ τοῖς Πειραίοις τῷ Διονύσῳ ταῦρον καὶ ἔθυσαν, τοῖς τε Διονυσίοις ἕτερον βοῦν ὡς ὅτι κάλλιστον παρήγαγον τῇ πομπῇ, ὃν καὶ ἔθυσαν ἐν τῷ ἱερῷ." Ex verbis illis sine dubio etiam colligere possumus, in insula Ceo etiam pompam illam Dionysiis fuisse. Singula sollemnia ergo Atticis plane similia fuisse videntur.

Ἀσκληπίεια exstant in Carthaeensium tit. 14 B, sed de sollemnibus ex titulo illo nihil discimus. Cum vero supra viderimus, Dionysia Atheniensium Dionysiis prorsus respondisse, Asclepiea illa, sicut Athenis, die proximo ante Dionysia celebrata esse coniecerim [3]). Quibus concessis Asclepiea haud dubie non aliter agebantur atque Athenis, cf. Aeschin. in Ctes.

---

1) cf. Hesych. s. v. *θεοξένια · Ἀπόλλωνος ἑορτή* et quae Deneken, De theoxeniis Berol. 1881, p. 8 sq. adnotavit.

2) Atque hac data occasione monere liceat Ceos frequenter in aliis urbibus ludis interfuisse. In Deliorum tit. n. 132 ubi de Dionysiis agitur homo quidam Ceus in comoedorum numero enumeratur (261 a. Chr. n.). Deinde eos etiam Delphorum interfuisse Soteriis quattuor tituli docent (n. 138—141); adferuntur ibi duo homines Cei, quorum uterque bis inter viros choreutas enumeratur: *Φειδακίδας Φειδᾶ Κεῖος* (n. 138 v. 26; n. 141 v. 41), *Ἀ.... κριτος Μνησίππου Κεῖος* (n. 139 v. 36; n. 140 v. 43).

3) Atheniensium *Ἐπιδαύρια*, quae die 18 mensis Boëdromionis agebantur, hic minus apte comparari possunt.

§ 67 „ὅτ' ἦν Ἀσκληπιῷ ἡ θυσία καὶ ὁ προάγων." Ad θυσίαν illam perpetrandam pertinebant pecuniae, quae a quaestoribus in tabulam quam supra dixi sunt relatae. Fuerintne praeter Athenas etiam in aliis civitatibus Graecis proagones, non constat: ergo de insula Ceo certi quicquam dici non potest.

Νέμεια commemorantur in Julietarum catalogo agonistico n. 39. Nemea in insula Ceo celebrata esse, adhuc ignotum erat: ergo supplemento illo explendus est tenuis Krausii catalogus [1]). In titulo illo, cuius initium atque dextra pars perierunt, victores enumerantur ἄνδρες, ἀγένειοι, παῖδες, κῆρυξ. Distinguuntur ergo in hoc titulo ἀγένειοι atque παῖδες, quam distinctionem Nemeorum propriam fuisse constat [2]). Quae fuerint certaminum genera ex titulo ipso non apparet. Tantum v. 13 post παίδων exstant litterae ΠΑΓ et v. 24 post ἀνδρῶν ΠΑ, quae nisi παγκράτιον significare non possunt. Inter victores nonnulli bis vel ter adferuntur, Λιπαρίων Λιπάρου quater, v. 8 sq. una cum fratre (Φαιδιππίδης Λιπάρου). Titulus ille duabus ex partibus constat, quarum utraque in fine praeconis nomen exhibet: Λέων Λεωμέδοντος. Initium prioris partis periit, initio alterius partis exstant verba: οἵδε Νέμεια ἐνίκων. Quae partes aliter explicari non possunt, nisi diversis annis catalogos illos esse compositos. Neque enim de diversis ludis cogitari potest, cum praeter alia nomina etiam praeconis nomen redeat, neque de diversis certaminum generibus, cum v. 13 et 24 idem exstet certamen. De praeconum certaminibus supra (p. 99 not. 1) uberius dixi.

Εἰσίδεια, quae in tit. n. 81 commemorantur sollemnia erant Sarapiastarum [3]). „Les Sérapiastes," inquit Foucart, „qui semblent former un érane dans l' inscription athénienne, sont à Céos constitués en thiase. — La grande fête était celle

1) cf. Krause, l. l. p. 146 sq.

2) cf. Krause, l. l. p. 135, 10.

3) cf. Foucart, Assoc. relig. p. 101 sq. et 222 sq. Titulus Macedonicae aetatis esse videtur. De sodaliciis cf. etiam Stengel, Iw. Müller V 3 p. 127 sq. De Isidis mysteriis Stengel, l. l.; Schoemann, Gr. Alt. II[3] p. 407 sq.

d'Isis. — L'influence des Ptolémées fit admettre dans le culte public des cités grecques Isis et Sérapis. Néanmoins les thiases des Sérapiastes continuèrent d'exister. Probablement ils avaient gardé plus fidèlement les rites étrangers.“ In hoc titulo Sarapiastae laudant hominem quendam, quod praeter alia liberalitatis documenta χρείας γινομένης ἀργυρίου εἰς ξυλωνίαν τῷ θιάσῳ προεισήνεγκε τὸ ἀργύριον ἄτοκον. Praeter collaudationem decernitur ei etiam corona frondea (θαλλοῦ στέφανος), eaque τοῖς Εἰσιδείοις renuntiari iubetur. De thiasi illius institutis praeterea nihil habemus compertum. Neque diiudicare possumus, fuerintne Isidis illa sacra postea etiam sacra publica, id quod de aliis civitatibus Graecis constat; neque templorum Isidis fit mentio.

Ἀπατούρια nusquam commemorantur, sed cf. Her. I 147: εἰσὶ δὲ πάντες Ἴωνες, ὅσοι ἀπ' Ἀθηνέων γεγόνασι καὶ Ἀπατούρια ἄγουσι ὁρτήν. ἄγουσι δὲ πάντες πλὴν Ἐφεσίων καὶ Κολοφωνίων· οὗτοι γὰρ μοῦνοι Ἰώνων οὐκ ἄγουσι Ἀπατούρια κτλ. Ex verbis illis dilucide patet, in insula Ceo etiam Apaturia esse acta.

Idem constat de Anthesteriis (Ἀνθεστήρια), de quibus cf. Thuc. II 15: „τὰ ἀρχαιότερα Διονύσια [τῇ δωδεκάτῃ] ποιεῖται ἐν μηνὶ Ἀνθεστηριῶνι, ὥσπερ καὶ οἱ ἀπ' Ἀθηναίων Ἴωνες ἔτι καὶ νῦν νομίζουσιν.“

Jovis Icmaei sacra commemorantur in Schol. ad Apoll. Rhod. [1]), ubi de Aristaeo haec legimus: „καὶ Διὸς ἱερὸν ἱδρύσατο Ἰκμαίου ἕνεκα τοῦ τοὺς ὄμβρους γίνεσθαι, καὶ τὸν κύνα ἐξιλάσατο καὶ ἐνομοθέτησε κατ' ἐνιαυτὸν τοῖς Κείοις μεθ' ὅπλων ἐπιτηρεῖν τὴν ἐπιτολὴν τοῦ κυνὸς καὶ θύειν αὐτῷ .... καὶ κατακαλεσάμενος τοὺς ἐτησίας Ζεὺς Ἰκμαῖος ἐκλήθη.“ Sollemnia illa igitur pertinebant et ad Jovem et ad Aristaeum et ad Sirium, cuius imago saepissime exstat in Ceorum nummis. Celebrabantur quidem illa sollemnia oriente canicula [2]). Praeter sacrificia, quae hic commemorantur, constitutum est „μεθ' ὅπλων ἐπιτηρεῖν τὴν ἐπιτολὴν τοῦ κυνός“, quae verba

1) cf. Schol. ad Apoll. Rhod. Argonaut. II v. 498; cf. supra p. 19.
2) cf. etiam Cic. de div. I 57.

cave cum Bergkio[1]) de militaribus ludis intellegas: significantur verbis illis superstitiosi ritus, quibus Cei caniculae vim noxiam placare studebant[2]).

Ultimum nomino Coresiorum illum diem festum eumque satis gravem, qui describitur in Coresiorum lege n. 66. Festi illius diei cum neque nomen sit servatum, neque tempus certius constet, necesse est et naturam eius et tempus quo sit actus accuratius definiamus; praeterea hac occasione data de Ceorum fastis pauca erunt dicenda.

Atque constabat quidem sollemne illud tribus ex partibus, sacrificiis, cena, ludis. Negotium sacra illa faciendi cenamque instruendi a probulis redemptori (ὁ ἐγλαβών)[3]) adiudicari iubetur. Immolari iubentur bos et ovis; praeterea etiam sus mactari poterat. Uniuscuiusque victimae aetas in titulo accuratius est definita[4]). Deinde de cena agitur, cui praeter servos omnes incolae quique a civitate honoris causa invitati erant, interesse poterant[5]). Sequuntur deinde praecepta, quomodo cena illa sit instruenda[6]), atque probuli una cum quaestore atque praecone δοκιμάζειν τὰ ἱερεῖα καὶ ἀφίστασθαι τὰ κρέα καὶ τῶν ἱερῶν προίστασθαι iubentur. Cena fieri iubetur, cum umbra gnomonis decem pedes longa erit[7]), vinum autem praeberi ad libidinem usque ad solis occasum. Ad negotium illud perficiendum redemptori 150 dr. assignantur, quam pe-

1) Bergk, Beiträge z. gr. Monatskunde, p. 33 sq.

2) cf. Preller-Plew, Gr. Mythol. I³ p. 375 not. 2: „Die Worte *μεθ' ὅπλων* .... sind zu verstehen vom Zusammenschlagen der Waffen u. ähnlichem Getöse, wie man es bei Mondfinsternissen, Leichenbegängnissen u. anderen Gelegenheiten zur Abwendung nachtheiliger dämonischer Einflüsse anwendete.

3) Rangabé et Dittenberger perperam coniecerunt *ὁ ἐπαυρών*, cf. app. epigr.

4) Stengel, l. l. p. 104 sq., imprimis p. 105 not. 6 et 7. Ceterum v. 8 non *ἐπ[ταμή]νου*, sed *ἐγμ[ή]νου* legendum est, cf. app. epigr.

5) v. 9 sq. *ἑστιᾶν δὲ τούς τε πολίτας καὶ οὓς ἡ πόλις κέκληκεν καὶ τοὺς μετοίκους καὶ τοὺς ἀπελευθέρους ὅσοι τὰ τέλη φέρουσιν εἰς Κορησίαν.*

6) Rangabé hunc locum perverse intellexit, cf. Dittenberger not. 9 et Stengel, p. 80 sq. not. 19.

7) Stengel, p. 101, not. 14.

cuniam nihil aliud nisi totius pretii partem esse Rangabé et Dittenberger ex v. 17 sq. recte collegerunt: „Redemptor certo pretio sacra facienda et cenam instruendam conduxit. Cuius pretii pars ei ex aerario in antecessum datur, id quod restat postridie cenam ei persolvitur a quaestore, si cena probata est. Sin minus quinta totius summae pars retinetur."

Ad ludos apparandos probuli 65 dr. accipiunt, quarum $61^2/_3$ dr. ad certaminum praemia designatae erant, quibus viri lampadarchusque victores donabantur; pueri victores et rhapsodus κρεῶν μερίδα accipiebant. Certaminum genera erant haec: virorum ἀκοντισμός, τοξική, καταπαλταφεσία, puerorum τοξική et ἀκοντισμὸς, λαμπὰς τῶν νεωτέρων. Singula praemia accuratius enumerantur v. 27 sq.[1]). De probulis, gymnasiarchis, lampadarchis supra uberius disputavi[2]). Hoc loco tantum monuerim lampadarchos fuisse liturgos, ergo λαμπάδος sumptus ii praestabant: unicus sumptus quem civitati lampas illa adferebat, erat clipeus (ἀσπίς) ille 20 dr., quo donabatur lampadarchus victor.

Jam vero oritur quaestio, quae fuerint illa sollemnia, de quibus hic agitur. Rangabé et Dittenberger quaestionem illam omnino non attigerunt. Boeckh propter λαμπάδα militaresque ludos Minervae potius quam Apollinis haec sacra fuisse putat. Bergk[3]) de Iovis sollemnibus cogitat: „mir scheint es viel angemessener, eben wegen des gewiss nicht zufälligen Zusammentreffens auf den 20. und 21. Maimakterion, an ein Fest zu Ehren des Ζεὺς Γεωργός und Μαιμάκτης zu denken, um so mehr, da der Cult des agrarischen Zeus in Ceos uralt und höchst bedeutend war: die militärischen Spiele haben nichts Befremdendes, ähnliches mochte in Ceos bei dem Feste des Zeus Ἰκμαῖος stattfinden, vergl. Schol. Apoll. Rhod. II 498; Lampadephorien aber finden sich nicht nur im Dienst der

1) cf. Boeckh, Staatsh. d. Ath. I³ p. 138 sq.

2) De probulis cf. p. 79 sq., de gymnasiarchis p. 96 sq., de lampadarchis p. 125 sq.

3) cf. Bergk, l. l. p. 33 sq. De militaribus ludis in Jovis honorem factis Bergkium non recte iudicasse supra docui, cf. p. 136 sq.

Athene, sondern auch der Bendis, des Dionysos, des Hephästos, Prometheus, Pan, Demeter, auch wohl der Kore." Aug. Mommsen Bergkium secutus est[1]).

Quarum sententiarum nulla verisimilis esse videtur. Est quidem res illa difficillima valdeque dolendum est, quod viri rerum illarum sane peritissimi, ut R. Schoell et Robert, hunc titulum neglexerunt. Ipse re saepissime etiam atque etiam examinata nihil me investigasse fateor quod omnes difficultates tolleret. Itaque ea primo exponam, quae a Boekhio, Bergkio, Mommseno aut minus sint intellecta, aut prorsus neglecta. Ac primum quidem viri illi doctissimi victimarum nullam habuerunt rationem. Immolari iubentur: ὁ βοῦς, ἡ οἶς, quorum de sexu dubitari non potest, cum insuper scriptum sit τὸν μὲν βοῦν βεβληκότα (sc. τοὺς ὀδόντας), τὴν δὲ οἶν βεβληκυῖαν. Constat autem[2]) Iovi victimas non esse immolatas, nisi masculas, Minervae autem tantum feminas: hic autem et mascula et femina exstat victima. Deinde hic commemoratur λαμπάς, de lampade autem in Iovis honorem nihil habemus compertum; itaque sententiae, quae ad rem per se obscurissimam explicandam rebus utitur inauditis, fidem tribuere non possumus. Profecti sunt illi quidem a mensis nomine dieque Atheniensium sollemnibus plane respondentibus. Sed tituli illius initium ita mutilatum scripturaeque evanescentis est, ut certi quicquam hac de re statuere non possimus. Legimus enim v. 3 sq. haec fere: . . . . διδόναι ἐν τῷ Μαιμακτηριῶνι τὴμ μη . . . . . . ἁτῃ ἀπιόντος καὶ διδόναι τῷ ἐγλαβόντι εἰς ἱερεῖα 150 δραχμάς etc. Ex verbis illis viri illi doctissimi collegerunt, sollemnia illa ἐν τῷ Μαιμακτηριῶνι ἐνάτῃ ἀπιόντος esse celebrata. Unde hoc collegerunt? Mea quidem sententia constituitur hic aliquid de die, qui dicitur Maimacterionis ἐνάτη ἀπιόντος, sed diem festum isto ipso die celebratum esse ex tituli verbis, quae quidem servata sint, minime colligi potest. Praeterea ex toto titulo patet, diem illum festum inter maxima sollemnia publica esse numerandum. De cena

1) cf. Aug. Mommsen, Heortologie p. 318.
2) cf. Stengel, l. l. p. 103 sq.

enim dicitur v. 9 sq. ἑστιᾶν δὲ τούς τε πολίτας καὶ οὓς ἡ πόλις κέκληκεν καὶ τοὺς μετοίκους καὶ τοὺς ἀπελευθέρους, fiunt deinde ludi atque λαμπάς. Universus igitur populus sollemnibus illis interest omniaque quae attuli, si pompam Panathenaicam exceperis, prorsus Atheniensium Panathenaeis respondent[1]. Διὸς Γεωργοῦ autem sollemnia tanti fuisse momenti praecise nego; Athenis ei simpliciter panificia offerebant[2]. Sollemnia illa magni fuisse momenti probant etiam ea, quae de gymnasiarcho exercitationibusque statuuntur. Restat denique argumentum idque gravissimum. Legimus v. 33 sq. τὰ δὲ ὅπλα παρασκευάζειν τοὺς προβούλους τοὺς ἐξιόντας. Quid significant illa verba? Editores rem illam silentio praeterierunt. Koehler autem in litteris ad me datis recte coniecit ex verbis illis, sollemnia illa ineunte anno esse celebrata. Itaque ex verbis illis colligo, Ceorum annum ab hiemali solstitio incepisse, id quod adhuc erat ignotum; sed primus Ceorum mensis utrum Atheniensium Gamelioni, sicut in insula Delo, an Posideoni responderit, hodie quidem diiudicare non possumus.

Iam vero mihi liceat novam coniecturam proferre, quae etsi non est certissima, tamen non sine aliqua est probabilitatis specie. Herodotus VIII 98, ubi de Persarum cursu publico (ἀγγαρήϊον) verba facit, comparat eum cum Graecorum lampade in honorem Volcani (κατάπερ Ἕλλησι ἡ λαμπαδηφορίη τὴν τῷ Ἡφαίστῳ ἐπιτελέουσι). Ex verbis illis etsi non efficitur lampada illam solam Herodoto fuisse notam, tamen ex eo, quod eam ipsam attulit neque Ἀθήνῃσι sed Ἕλλησι scripsit, colligere possumus, lampades in honorem Volcani in Graeciae civitatibus longius latiusque patuisse. Polemon apud Harpocr. s. v. λαμπάς Athenienses tres lampadas habuisse dicit: Παναθηναίοις καὶ Ἡφαιστίοις καὶ Προμηθείοις. De Minerva hic cogitari non posse supra docui; neque ea Promethea fuisse possunt: restant ergo Ἡφαίστια. Praeter veterum scriptorum testimonia, duo, quod sciam, innotuerunt ti-

1) cf. Wilamovitz, Hermes XXII p. 220; Stengel, l. l. p. 80, § 67.
2) cf. C. J. A. III 77.

tuli [1]), ex quibus de sollemnibus illis nonnulla colligere possumus. Alterius tituli argumentum Schoell optime his verbis complexus est: „Es sind Reste eines Gemeindebeschlusses, etwa dem Ende der perikleischen Zeit angehörig [2]), über die Einrichtung der öffentlichen Feier des Hephaistos- u. Prometheusfestes [3]), mit eingehenden Bestimmungen über die Wahl der leitenden Commissionen, die Procession und den Opferschmaus, die Wettkämpfe, insbesondere den Fackellauf und die Preisvertheilung." De Atheniensium Ἡφαιστίοις non est quod dicam. Coresiorum vero decretum qui cum Atheniensium decreto illo accuratius comparaverit, necesse est concedat, sollemnia illa fuisse simillima [4]). Mihi quidem Coresiorum sollemnia, de quibus in titulo illo agitur, Ἡφαίστια fuisse videntur. Adferri etiam potest, Atheniensium Ἡφαίστια eodem fere tempore esse celebrata.

Praeter M a i m a c t e r i o n e m, qui quin Atheniensium Maimacterioni responderit non est quod dubitemus, mensium nomina innotuerunt haec duo: Βακχιών (n. 69) et Ἑρμαιών (n. 128). B a c c h i o n commemoratur in Poiessiorum decreto de fundis publicis, ubi conductor 10 die Bacchionis mensis mercedem solvere iubetur. Bacchion exstat etiam in Myconiorum fastis, ubi homines docti eum Atheniensium Anthesterioni respondisse putant [5]). Etiam Poiessiorum Bacchion haud dubie eodem loco collocandus est. Agebantur enim Anthesterione mense Anthesteria, de quibus Thuc. II 15 haec docuit: τὰ ἀρχαιότερα Διονύσια [τῇ δωδεκάτῃ] ποιεῖται ἐν μηνὶ Ἀνθεστηριῶνι, ὥσπερ καὶ οἱ ἀπ' Ἀθηναίων Ἴωνες ἔτι καὶ νῦν νομίζουσιν. Itaque cum haec vetustissima essent Dionysii sacra,

1) C. J. A. II 533 = Ditt. Syll. n. 420; Ephem. Arch. 1883 p. 167 sq. = R. Schoell, Sitzber. d. bayer. Acad. 1887 I p. 1 sq. cum commentario luculentissimo = C. J. A. IV 2 n. 35 b p. 64.

2) Kirchhoff l. l. titulum Ol. 85 vel 86 incisum esse docuit.

3) Kirchhoff l. l. „agitur autem, si quid video, de Vulcanalium festo tunc temporis primum celebrato et postea celebrando."

4) cf. etiam Coresiorum tit. v. 9 sq. cum Atheniensium tit. v. 16 sq.

5) cf. Bischoff, De fastis Graec. ant., Lpz. Stud. VII (1884) p. 395.

mensis ille optime Βακχιών appellari poterat. Ex mercedis pensione nihil colligere possumus, cum de mercedis pensitandae temporibus certam legem statuere non possimus[1]. Hermaeonis sedes certo definiri non potest. Ahrens[2] eum Lacedaemoniorum Phliasio, Atheniensium Scirophorioni respondisse putavit. Clodius[3] eum comparavit cum Boeotorum Hermaeo, quem secundum[4] post brumam locum obtinuisse censet. Bischoff l. l. Hermaeonis sedem recte incertam esse docet. In titulo quem supra attuli Julietae Atheniensibus ἀτέλειαν concedunt ἀπὸ τοῦ μηνὸς τοῦ Ἑρμαιῶνος, sed ex verbis illis nihil de sede colligere possumus. Valde denique dolendum est, quod Julietarum tituli n. 38 dextra pars periit. Legimus enim v. 5: ἐπὶ Θεοφανίδου ἄρχοντος μ[ηνὸς....

Haec sunt, quae de Ceorum sacris habemus compertum. Quorum quanti sumptus fuerint, si quis sacrificia, cenas, pompas, ludos, praemia reputaverit, ne obiter quidem computari potest. Sane obliviscendum non est, rem publicam non omnes sumptus praestitisse, sed partem eorum non exiguam a liturgis (choregis, lampadarchis) esse toleratam. Deinde sumptuum partem, qui quidem ad sacrificia pertinerent[5], suppeditabant deorum aeraria. De quibus cum nondum dixerim, iam breviter exponam templa aerariaque sacra quomodo sint administrata, etsi non multum hac de re habemus compertum.

Deorum aeraria in insula Ceo quomodo sint administrata discimus tantum ex Carthaeensium titulo n. 14[6]: nam Julietarum tit. n. 37[7] aliter esse explicandum, mox demonstrabo.

---

1) cf. Euler, De locatione conductione, p. 15 sq.

2) Rhein. Mus. XVII (1862) p. 359.

3) Clodius, Fasti Ionici, Halis Sax. 1882, p. 31.

4) Bischoff, l. l. p. 402 falso Clodium „primo post brumam loco“ scripsisse dicit.

5) cf. Harpocr. s. v. ἀπὸ μισθωμάτων; Boeckh, Staatsh. I³ p. 267 a; Carthaeensium tit. n. 14, Julietarum n. 37.

6) cf. Halbherri commentarium locupletissimum. Egerunt de hoc titulo praeterea Szanto, Wien. Stud. VIII (1886) p. 9 et 32; Swoboda, Wien. Stud. X (1888) p. 291 sq.; Larfeld, Burs. Jhb. 1889 vol. 60, p. 484 sq.

7) cf. Halbherr, l. l.; Swoboda, l. l.; Larfeld, l. l. p. 482 sq.

Carthaeensium titulus continet rationes quaestorum templi Apollinis Pythii. Lapis, qui valde est mutilatus, olim haud dubie a quattuor lateribus erat inscriptus, quorum unum hodie deest [1]). Tabula illa in antica parte B atque in postica parte C usque ad v. 15 continet rationes pecuniarum acceptarum et expensarum. Rationes illae divisae sunt in tres partes: 1) B a et b usque ad v. 12, 2) B b v. 14—24, 3) B b v. 25 —C b v. 15. Partes prima et secunda eodem tempore sunt confectae, pars tertia paulatim postea est addita. De secunda parte cum supra p. 127 sq. uberius dixerim (continet pars illa pecunias civitati mutuas datas), iam primam et tertiam diligentius inspiciamus. Halbherr, quem Swoboda et Larfeld secuti sunt, pecuniarum illarum naturam non recte definivisse mihi videtur. Perscripta enim sunt in tabula nomina propria, quibus loci cuiusdam additum est nomen, ut Φαναγόρας τὰ ἐν Κόπρῳ. Incipit tabula a verbis Θεοί . . . . οἵδε ἀπέδοντο τὰ . . . . ξένιαι τὸ ἐπιδέκατ . . . quae verba Halbherr sic restituere conatus est: Θεοί. [Τύχη ἀγαθή?] [2]). Οἵδε ἀπέδοντο τὰ [χωρία ἀποτείσαντες εἰς τὰ Θεο]ξένια τὸ ἐπιδέκατ[ον (sc. τῆς τιμῆς) κατὰ τὸν νόμον]. Continuisse igitur putant viri doctissimi tabulam illam „die Gelder, welche der Tempelschatz . . . . an gewissen Einkünften einnahm — dem Zehnten für den Verkauf von Grundstücken und Häusern — die zunächst einem bestimmten Zweck gewidmet waren, den Theoxenien und Asklepien, und daher einen abgesonderten Theil der Casse bildeten.“ Halbherr ergo totum enuntiatum sic fuisse putat: Φαναγόρας ἀπέδοτο τὰ (χωρία τὰ) [ἐγ] Κόπρῳ: (δραχμῶν) H 𐅅 — — — ὧν τὸ ἐπιδέκατον ἀπέτεισε (vel ἐλάβομεν): ΔΠ — — Mihi quidem haec illi non recte contendisse videntur, neque ea, quae Halbherr p. 213 sq. de decima illa pluribus verbis disputavit, difficultates, quas ipse sensit, tollere possunt. Viri illi doctissimi manifesto rem satis notam neglexerunt. Constat enim homines privatos sae-

1) Swoboda ordinem, quo tabulae illae sunt confectae, hunc fuisse coniecit: B, C, A.

2) Swoboda recte hoc supplementum falsum esse docuit.

pissime bona sua templo cuidam vendidisse ea condicione, ut post venditionem bona illa retinerent ut emphyteutae [1]). Idem de hoc titulo contendo. Homines illi, quorum nomina hic perscripta sunt, praedia sua Apollini vendiderunt atque quotannis ut emphyteutae decimam deo solvebant, quae quidem ad Θεοξένια et Ἀσκληπίεια rite celebranda impendebatur. Quibus concessis omnes tolluntur difficultates. Neque decima illa admirationem nostram movere potest, cum in huiusmodi causis fuerit usitatissima [2]). Primi tituli versus quomodo sint restituendi nescio, neque eos umquam restitui posse existimo, nisi novis inventis fragmentis. Halbherri supplementa probare non possum: verbi causa cur quaestores ibi scripserunt οἵδε ἀπέδοντο τὰ χωρία ἀποτείσαντες κτλ? Halbherri sententiam si sequimur, quaestores decimam perscripserunt, ergo scribendum fuit οἵδε ἀποδόντες τὰ χωρία ἀπέτεισαν κτλ. Sed iam pergamus. Supra dixi partes primam et secundam eodem tempore esse insculptas. Quod non solum ex eo apparet, quod eadem manu sunt insculpta, sed docent hoc etiam v. 15—22, ubi septem annorum archontes alius alium deinceps excipiunt. Mirum autem in modum viros doctos fugit, prima pars quomodo sit confecta. Laterculi Bb v. 1—7 diligentius qui legit, necesse est animadvertat, nomina illa servato litterarum ordine esse perscripta [3]). Quae sententia mea eo comprobatur, quod initio tituli Ba v. 4 sq. omnia nomina, quae quidem sint servata, incipiunt a littera A. Quae cum ita sint, iam patet, quomodo tabula illa sit confecta. Continent partes prima et altera rationes vel septem vel plus annorum [4]), quae eodem anno lapidi sunt incisae, et quidem pars prima servato litterarum ordine, pars altera servato archontum ordine. In fine primae partis (Bb v. 8) redituum summa perscripta est. Inter summam illam atque secundam partem duo exstant versus, qui

1) cf. Boeckh ad C. J. G. II 2693 e; Hermann-Thalheim, p. 82 not. 3. Boeckh optime causam, cur hoc factum sit, explicavit. Cf. etiam Boeckh, Staatsh. I² p. 399.

2) cf. Boeckh, Staatsh., l. l.

3) v. 1 et 2: *Σ*, v. 3: *T*, v. 4—7: *Φ*.

4) Archontes illi num statim alius alium exceperint non constat.

similiter sunt confecti atque prima pars. Halbherr p. 214 versus illos sic explicavit: „Le linee 11—12 poste fra due erasioni contengono il prodotto di due altre vendite avvenute, come pare, dopo la chiusura dell' articolo superiore ed aggiunte di poi." Sententiam eam probare non possum. Vidimus modo partes illas una lapidi esse incisas, ergo ne cogitari quidem potest, venditiones illas esse factas, cum rationes illae a lapicida lapidi inciderentur. Res prorsus aliter se habet. Vidimus supra (p. 130) lapicidam v. 20 nonnullas drachmas omisisse atque v. 21 eas addidisse; similiter Ba v. 4 exstat Ἀριστίας τεμπο (sc. τὰ ἐμ Πο...). Similis error etiam hic exstat. Nomina illa litterarum ordine servato incidenda erant, lapicida autem cum nonnulla omisisset, ea nisi in fine addere non poterat. Prorsus aliter confecta est tertia pars, quae paulatim neque eadem manu, neque servato litterarum ordine est incisa; lapicidarum permulta continet vitia; ceterum primae parti respondet. In partis illius fine (Cb v. 15) pecuniarum summa perscripta erat.

Dixi de rationibus pecuniarum acceptarum et expensarum. Sed tabula haec praeterea continet etiam coronas vel earum pretium a diversis magistratibus (archontibus, strategis, choregis) Apollini dedicata [1]). Dedicationis formulas tres in titulo illo occurrere Halbherr recte animadvertit: 1) ὁ δεῖνα ἀνέθηκε τὸν στέφανον: H, vel ὁ δεῖνα τὸν στέφανον: H; 2) παρὰ χορηγοῦ (vel ἄρχοντος, vel στρατηγῶν) τοῦ δεῖνος τὸν στέφανον ἐλάβομεν: H, vel ἐλάβομεν τὸν στέφανον: H; 3) παρὰ τοῦ δεῖνος ἐλάβομεν τὸ εἰς τὸν (vel τὸ) στέφανον: H.

Haec habui de Carthaeensium quaestorum tabulis quae dicerem. Quam tabulam qui accuratius examinaverit, recte Swobodam de tabulis illis sic iudicasse concedet: „Befremdend für denjenigen, welcher mit der peinlichen Genauigkeit der athenischen und delischen Inventare vertraut ist, ist die nachlässige Abfassung dieser Urkunde, speciell das Fehlen von genaueren Zeitangaben bei den Widmungen — nur einmal tref-

1) cf. Aa et b, C v. 16 sq. De coronis illis supra uberius disputavi, cf. p. 87 sq. et p. 124.

fen wir eine solche Ab v. 34[1]) — und besonders den Einnahmen.“

Redituum sacri aerarii sex genera fuisse videntur: 1) pecuniae, quae pro praediis templi locatis quotannis redibant, 2) usurae pecuniarum, quae mutuae dabantur vel civitatibus vel hominibus privatis, 3) coronae vel earum pretium, quae a magistratibus hominibusque privatis a civitate honoratis dedicabantur, 4) nonnullae multae, quae in sacrum dei aerarium deferebantur, 5) pecuniae, quae deo ab hominibus privatis donabantur[2]), 6) varia donariorum genera. De impensis nihil discimus, sed eae aliae fuisse non possunt atque in ceteris civitatibus Graecis, velut ad templa tuenda et restauranda, ad sacrificia perficienda, ad sollemnia celebranda, ad stipendia variis templi ministris pendenda aliaque[3]).

Discimus denique ex Carthaeensium titulo illo Apollinis et Aesculapii aeraria coniunctim administrata esse[4]). Sed sacra aeraria et publica separatim administrabantur, illa a ταμίαις τῶν ἱερῶν χρημάτων, haec a quaestore τοῦ δήμου[5]): de quibus cum supra (p. 90 et 93) uberius disputaverim, non est quod hoc loco ea retractem. Ceterum quae de Carthaeensium sacri aerarii administratione docui, haud dubie etiam de ceteris Cei insulae civitatibus dici potest.

Reliquum est ut de pecuniis dicam ab hominibus privatis deo cuidam dono datis[6]), documentis usus duobus Julie-

---

1) *Ἐπὶ ἄρχοντος Ἀλεξιτέλους Ἀριστοπείθης Ἐρασικλείους χορηγήσας παισὶν εἰς Δῆλον στεφανωθεὶς ὑπὸ τοῦ δήμου χρυσῷ στεφάνῳ ἀνέθηκεν τὸν στέφανον τῷ Ἀπόλλωνι δραχμὰς ἑκατόν.* Hoc enuntiatum non solum temporis definitione sed etiam eo a ceteris differt enuntiatis, quod copiosius est conceptum.

2) De hoc quinto genere infra uberius dicam.

3) e. g. supra (p. 94) vidimus, quomodo duo fontes rivo subterraneo cum Cereris templo essent coniuncti, ut templo aquam suppeditarent.

4) cf. Halbherr, l. l. p. 216.

5) cf. Swoboda, l. l. p. 293.

6) Similes tituli sunt Ditt. Syll. n. 233, n. 349 ; Rangabé, Ant. Hell. II n. 689, n. 821 b = Le Bas II n. 1754; C. J. G. n. 3641 b, n. 1845; Le Bas, Asie min. n. 1611. Cf. Swoboda, Wien. Stud. XI (1889)

tarum titulis, n. 38 et 37. De priore titulo non multum habeo quod dicam. Epameinon Polyctoris filius liberique eius Apollini [1]) pecunias quasdam condonaverunt ea condicione, ut ex usuris aedes sacrae reficerentur [2]). Qua de causa magistratus creari iubentur et quidem suffragiis; magistratus illi in Apollinis templo (ἐν Πυθίῳ) iure iurando adiguntur [3]). Reliqua sunt ambigua.

Alterius tituli naturam Halbherr sic definivit „L' assieme di quanto rimane e la particolare espressione della lin. 21 (καὶ χρῆσθαι νόμῳ τούτῳ) non ci lasciano alcun dubbio che qui abbiamo il frammento di una legge relativa all' amministrazione delle sostanze del tempio di Apollo Pitio in Julis e precisamente al trattamento dei debitori morosi del santuario." Swoboda et Larfeld eum secuti sunt. Mihi quidem illi tituli naturam non recte intellexisse videntur, nam titulum priori simillimum esse existimo [4]). Equidem tituli argumentum hoc fere fuisse puto. Homines quidam privati Apollini pecunias dederunt ea condicione, ut usurae earum εἰς τὴν ἐπισ]κευὴν τῶν ἱερῶν καὶ τὴν θυσίαν impenderentur: in eo titulo ergo minime agitur de sacro Apollinis aerario, sed de pecuniis illis condonatis. Titulus ipse sicut plerique huiusmodi tituli, est decretum senatus populique Julietarum, qui secundum leges

p. 78 sq.: „sie haben in der Form alle das Gemeinsame, mag nun die Widmung zu religiösen Zwecken sein oder nicht, dass sie Bestimmungen über die Anlage des geschenkten Capitals enthalten, meist auf Hypothek, dass die Behörden, welche die Stiftungen zu verwalten haben, bezeichnet oder solche neu eingesetzt werden, . und dass gegen einen Antrag auf andere Verwendung oder gegen einen Missbrauch von Seite der verwaltenden Behörde schwere Strafen festgesetzt sind. Die Entscheidung über den Zweck steht bei dem Geschenkgeber."

1) Apollini pecunias illas esse datas inde colligere possumus, quod v. 16 Pythii fit mentio.

2) cf. similem tit. C. J. A. II n. 610, ubi orgeones ex redituum quadam parte sarta tecta aedium tueri iubentur.

3) cf. Ditt. Syll. n. 233 v. 41 sq., C. J. G. II n. 3641 b v. 42.

4) Simillima sunt (ut nihil omittam) etiam lapidum ambitus litterarumque formae.

a largitoribus constitutas definit, pecuniae illae quomodo sint administrandae. Quod ut demonstrem, necesse est totum titulum paulo accuratius examinemus servato quidem versuum ordine. V. 3 et 4 Halbherr reliquique viri docti constitutum fuisse putant, ut sacri aerarii debitores in album (λεύκωμα) referrentur atque album illud ante templum proponeretur. Mea quidem sententia constitutum erat, ut pecuniae illae faenori darentur, atque debitorum nomina duas in tabulas referrentur, quarum altera ante Apollinis templum (λεύκωμα τὸ πρὸ Πυθίου), altera (τὸ ἀντίγραφον) haud dubie in tabulario publico proponenda esset[1]). V. 5—10 haec fere scripta fuisse existimo: debitores die constituta usuras solvere debent; qui non solverint neque bonam copiam eiuraverint, multari iubentur[2]); quaestores neglegentes duplum solvere debent[3]). V. 11 et 12 quaestores pecunias multaticias usurasque hieropoeis tradere iubentur εἰς τὴν ἐπισ]κευὴν τῶν ἱερῶν καὶ τὴν θυσίαν[4]). „Il concetto della lin. 13 et 14“, inquit Halbherr, „non è molto chiaro“. Sane quidem, si eius de tituli huius natura sententiam sequimur, nam tum quid sibi velint illi versus non intellego. Prorsus aliter res se habet, si meam sequimur sententiam: in omnibus enim huius-

---

1) cf. Ditt. Syll. n. 233 v. 33 sq. *ἐπεὶ δέ κα ἐγδανείσωντι ἀ[να]γράψαντες τοὺς δεδανεισμένους καὶ τὰ ἐνέχυρα αὐτῶν ἐμ πίνακας λελευκωμένους δύο, ἀναγνόντω ἐν τᾷ ἐκκλησίᾳ· ἔστωσαν δὲ τὰ ἐνέχυρα ἀξιοχρ[ε]ίονα καὶ ἀνέφαπτα. καταθέντω δὲ τὸμ μὲν ἕνα πίνακα ἐν τὸν ναόν, τὸν δὲ ἕνα π[ί]νακα ἐν τὸ δαμόσιων γραμματεῖον.*

2) cf. Ditt. Syll. n. 233 v. 68 sq.

3) cf. Ditt. Syll. n. 349 v. 65 sq. *ἐὰν δὲ οἱ τα[μίαι μ]ὴ δανείσωνται κτλ. — ὀφειλέτω ἕκασ[τος τ]ούτων τῆ[ι πόλει δρα]χμὰς δισχιλίας, δικασάσθω δὲ αὐτῷ [ὁ βου]λόμενος [.... ἁλισκ]όμεν[ος] ἐκτινέτω διπλάσιον.* Cf. etiam Ditt. Syll. n. 233 v. 85 sq.

4) Haec in omnibus occurrunt decretis quos supra attuli, ut necesse non sit exempla adferre. Halbherr non recte haec adnotavit: „Questa *θυσία* determinata puramente coll' articolo pare sia un sacrificio solenne ricorrente forse d'anno in anno (nelle Pythie ?) e conosciuto da tutti come il sacrificio principale di quel tempio“, nam verbis illis nihil aliud significatur nisi sacrificia illa, ad quae perficienda largitores pecunias illas dederunt, cf. Le Bas II n. 1754 (Rang. n. 821 b) v. 5; Rhein. Mus. XVIII p. 262; Ditt. Syll. n. 233 v. 14.

modi decretis distincte cautum est, ne quis pecuniis illis abuteretur[1]). Idem in hoc decreto constituitur sontesque 10000 dr. Apollini solvere debent[2]). Deinde v. 15—20 constituitur, ut unicuique liceat eos ad thesmophylacas deferre, thesmophylaces autem eos 10000 dr. multent; quas si non solverint, nomina eorum patrum nominibus multaque additis lapidi incidi atque in templo Apollinis Pythii proponi iubentur[3]). V. 20—22 psephisma illud lapidi incidi iubetur eique legis vis tribuitur καὶ χρῆσθαι νόμῳ τούτῳ ὑπὲρ τῶν χρη-[μάτων — — — εἰς τὸν ἀε]ὶ χρόνον. Halbherr ibi supplevit χρημάτων τῶν τοῦ ἱεροῦ vel Πυθίου, sed hoc probari non potest: ex tituli argumento apparet de pecuniis donatis haec esse dicta[4]). Confirmatur haec sententia mea iis verbis, quae sequuntur: ἐγγράψαι δὲ καὶ τοὺς ἀναθέντας, quae manifesto docent id quod supra uberius demonstravi: οἱ ἀναθέντες sunt ii, qui pecunias illas, de quibus hic agitur, dono dederunt. Halbherr quidem haec verba in universum de largitoribus dicta esse putat, sed argumenta eius minime probari possunt. Quonam tandem modo fieri potuit, ut in lege de sacri aerarii administratione subito atque improviso largitorum fieret mentio? Halbherr animadvertit: „Ma non dobbiamo dimenticare che i debitori dei templi si inscrivevano ben di sovente in quelle stele destinate a contenere le entrate, le uscite, i crediti, i doni votivi e tutta quella varietà di articoli che concerneva l'intiera gestione della autorità del santuario."

1) cf. Ditt. Syll. n. 233 v. 19 sq.; n. 349 v. 39 sq.; Rang. n. 689 v. 51 sq.; Le Bas, Asie min. n. 1611; C. J. G. II n. 3641 b.

2) Quod Apollini multa illa solvi iubetur, ex eo minime efficitur Halbherri de tituli natura sententiam esse rectam. Semper enim multae illae deo cuidam solvuntur, cf. Ditt. Syll. n. 349 v. 57 *ἱερὸν Ἑρμοῦ καὶ Ἡρακλέους καὶ Μουσῶν*; Rang., n. 689 n. 57 *ὀφειλέτω ἱερὰς τῆς Ἀρτέμιδος δραχμὰς ἑξακισμυρίας*; Le Bas, Asie min. n. 1611 *ἀποτεισάτω ἱερὰ Ἀφροδείτῃ δηνάρια τρισχείλια.*

3) De hac re supra uberius egi (p. 95 sq. et 113 sq.); cf. praeterea omnes locos, quos not. 1 attuli.

4) v. 24 *πλῆθος ἀργυρίου* de pecuniis illis similiter usurpatum est atque Ditt. Syll. n. 349 v. 46 *τὸ πλῆθος τῶν χρημάτων*, Rang. n. 689 v. 20 *τοῦ προγεγραμμένου πλήθους.*

Sane quidem, sed non intellego, quomodo his concessis improvisa largitorum mentio explicari possit. Largitorum autem nomina eidem tabulae cui legem illam esse incisa, non est quod miremur: cf. initium Julietarum tituli quem supra attuli n. 38; Rangabé n. 689 v. 48 sq. Firmatur sententia mea verbis quae sequuntur: τὴν]στήλην εἰς τὸ ἐχέβωμον θεῖναι. Quae verba minime de tali tabula dicta esse possunt, qualem Halbherr descripsit. Sed quid sibi vult illud „ἐχέβωμον“? Comparetti, quem Halbherr et Larfeld secuti sunt, verbum illud sic explicavit: „quella parte del Peribolos del tempio, ove all' aria libera contenevasi l'altare.“ Quae explicatio valde est probabilis, nam in decreto Rangabé n. 689 v. 34 sq. similiter scriptum est: στῆσαι (sc. εἰκόνας) ἐν τῷ ἱερῷ τῆς Ἀρτέμιδος τῆς Ἀμαρυσίας ἐ ν τ ῷ ἐ π ι φ α ν ε σ τ ά τ ῳ τ ό π ῳ — ἀναγράψαι δὲ τόδε τὸ ψήφισμα εἰς στήλας λιθίνας δύο καὶ ἀναθεῖναι παρὰ τὰς εἰκόνας, ὅπως ἐκφανὴς ὑπάρχῃ τοῖς τε πολίταις πᾶσιν καὶ τοῖς ξένοις τοῖς παρεπιδημοῦσιν. Quibus rebus expositis satis docuisse videor, legem illam non posse pertinere nisi ad administrationem pecuniarum Apollini dono datarum.

Appendix epigraphica.

I. Tituli in insula Ceo reperti.

1. Carthaea.

1. Lapis inventus Carthaeae in muro veteris arcis orientali. Ex quinque apographis haec tria commemoro: Broendstedii tab. XXV n. 19 (= CJG I n. 41 et Lebas II n. 1779); Prokeschii (= Rang. n. 32 et Lebas tab. VI 4); Rossii in diario (= Roehl, JGA n. 394 et Bechtel JJD n. 42. [Edd. praeterea: Cauer, Delectus[2] n. 529; Roberts, Introd. I n. 31 b].

Litteratura Cea antiqua, cf. Kirchhoff, Stud. 1887[4] p. 90 sq. Continet titulus ille quattuor nomina.

---

2. „Basis ex lapide albo facta, reperta Ceae in pariete meridionali ecclesiae S. Symeonis; servatur in museo publico Atheniensi.“ Edd. Pittakis, Ephem. n. 3022; Rang. n. 1184; Köhler, Mitth. I p. 146; Roehl, JGA n. 397; Bechtel, JJD n. 46; [Cauer, Delectus[2] n. 532; Roberts, Introd. I n. 33 b].

Titulum Koehler altera V a. Chr. n. s. parte exaratum esse docuit; Bechtel p. 46 titulum post a. 420 incisum esse statuit. Continet titulus dedicationem. Carthaeensium numero eum inserui, quia Venerem et Aesculapium (n. 3) Carthaeae cultos fuisse constat: confirmatur haec sententia mea eo, quod ecclesia S. Symeonis prope Carthaeam sita est.

---

3. Marmor inventum in alveo rivi Bathypotamos prope Carthaeam; nunc Athenis exstat in museo publico. Edd.

Roehl, JGA n. 398 [Miliarakis: Ἄνδρως, Κέως p. 254; Roberts, Introd. I n. 33 c] Halbherr, Mus. I p. 216.

De titulo illo idem valet, quod supra ad n. 2 adnotavi.

4. „Lapis Ceus, qui nunc exstat in museo publico Atheniensi.“ Edd. Koehler, Mitth. I p. 147; Roehl, JGA n. 396; Bechtel, JJD n. 45; [Cauer, Del.² n. 531; Roberts, Introd. I n. 33 a].

De titulo illo cf. n. 2 et 3.

5. Basis marmorea candida inventa inter rudera templi Apollinis. Exscr. Broendsted tab. XXV n. 18 et Prokesch. Edd. Boeckh, CJG II n. 2365; Lebas II n. 1760.

Dedicatio. Titulus propter litterarum formas IV a. Chr. s. antiquior esse non potest.

6. Marmor inventum ibidem. Exscr. Broendsted, tab. XVI n. 1. Edd. Boeckh, CJG II n. 2364 et p. 1071; Lebas II n. 1761.

De titulo illo cf. n. 5. Ultimum verbum non *Ἀρισταίῳ* sed *δεκάτην* fuisse constat. Ctesias haud dubie frater est illius Telliae, qui n. 5 commemoratur.

7. Lapis Ceus, qui haud dubie Carthaeae inventus est. Exscr. et ed. Rang. n. 1185 [cf. etiam Ephem. n. 3028].

De titulo cf. n. 5. Ctesias ille idem est atque n. 6.

8. Marmor inventum inter rudera templi Apollinis. Exscr. Broendsted, tab. XVI n. 2 et Prokesch. Edd. Boeckh, CJG II n. 2366; Lebas II n. 1762; Rang. n. 1186.

De titulo illo cf. n. 5. Donarium dedicavit Ctesiae filius cf. n. 6 et 7.

9. Lapis Ceus, inventus haud dubie Carthaeae. Exscr. et ed. Rang. n. 1183. [cf. Ephem. n. 3023].

De titulo cf. n. 5.

10. Tabula marmoris albi Ceo Athenas delata, ubi nunc exstat „im Hofe des Administrationsgebäudes der griechischen Bergwerksgesellschaft in Laurion.“ Ex Fabricii ectypo et apographo ed. Koehler, Mitth. IX p. 271 sq.

Proxenorum catalogus. Koehler eum recte IV [a. Chr. n. s. Carthaeae exaratum esse docuit. — v. 23 Wilamovitz (ind. lect. hib. Gotting. 1885/86 p. 11) [Π]ύθων Ἡρακλειδεύ[ς] scriptum fuisse statuit, cf. Bechtel, JJD n. 49. — v. 30 legerim Μ[ηλιεύς], v. 42 Ἀ[λ]αιεύς; cf. p. 77 not. 1 et 2.

11. Marmor inventum inter rudera templi Apollinis; in eodem marmore etiam incisus est tit. n. 21. Exscr. Broendsted, tab. XXI n. 11. Edd. Boeckh. CJG II n. 2353; Lebas II n. 1766.

Proxeniae decretum. Titulum falso Boeckh circa Ol. 120 exaratum esse putavit. Rectius Wilamovitz, qui eum ante a. 338 incisum esse statuit; cf. Sonne, De arbitris externis, Gotting. 1888 p. 29. Cf. supra p. 98 et p. 113.

12. Marmor inventum ibidem; in marmore illo exarati sunt tituli n. 12 et 13. Exscr. Broendsted tab. XIX n. 6. Edd. Boeckh, CJG II n. 2354; Lebas II n. 1767.

Proxeniae decretum.

13. In eodem marmore atque n. 12. Exscr. Broendsted tab. XIX n. 5. Edd. Boeckh, CJG II n. 2355; Lebas II n. 1768.

Proxeniae decretum.

14. Fragmenta duo tabulae marmoris a tribus lateribus inscriptae et fractae a partibus dextra et media, inventa inter rudera templi Apollinis Carthaeae. Superior pars iam exstare non videtur, inferior nunc exstat in Dimarchia Tziá. (A in latere sinistro, B in fronte, C in aversa parte). A: superiorem partem (a) exscr. Broendsted tab. XXIV n. 17; edd. Boeckh, CJG II n. 2363; Lebas II n. 1778; inferiorem (b) exscr. et ed. Halbherr, Mus. I n. 18 A. — B: superiorem partem (a) exscr. Broendsted, tab. XXIV n. 15; edd. Boeckh, CJG II n. 2361; Lebas II n. 1776; inferiorem (b) exscr.

et ed. Halbherr, Mus. I n. 18 B. — C: superiorem partem (a) exscr. Broendsted tab. XXIV n. 16; edd. Boeckh, CJG II n. 2362; Lebas II n. 1777; inferiorem (b) exscr. et ed. Halbherr, Mus. I n. 18 C. Cf. praeterea quae de titulo exposuerunt Szanto, Wien. Stud. VIII (1886) p. 9 sq. et p. 32; Swoboda, Wien. Stud. X (1888) p. 291 sq. et XI (1889) p. 82 sq.; Larfeld, B. J. p. 484 sq.

Rationes quaestorum templi Apollinis Pythii. „La forma delle lettere ed i carrateri ortografici non ci permettono di scostarci di troppo dalla fine del IV secolo a. C.“ Cf. quae de titulo supra uberius exposui p. 127 sq. et 142 sq. A a v. 13 legerim *Κτ]ησία*; B a v. 6 supplendum esse censeo *'Αρίστη καὶ [κύρ(ιος) τ]ὰ ἐν*, nam similiter B b v. 12 scriptum est *κληρο* pro *κληρονόμοι*; cf. e. g. CJA II n. 803. De abbreviationibus nuperrime egit Simon, Ztschr. f. östr. Gymn. 42 (1891) p. 673 sq. cf. p. 691.

15. Fragmentum tabulae marmoris albi inaedificatum in muro ecclesiae S. Demetrii εἰς Κατομεριά, fractum a parte dextra. Exscr. Halbherr. [Totus titulus pessime editus erat Ephem. n. 3006 et 3523]. Ed. Comparetti, Mus. I p. 223 sq. n. II; cf. praeterea Larfeld, B. J. p. 486.

